

ponētes humanitatem Christi, non est dubium, quòd ex his duabus naturis, anima scilicet rationali, & carne, resultat vna natura communis, & tertia in Christo, quæ dicitur humanitas, sicut resultat in ceteris alijs puris hominibus.

Tertia dissimilitudo.

Tertiã autem dissimilitudo est quantum ad vnitatem naturalem: nam ex anima rationali & carne fit vnum naturaliter, sed ex Deo, & homine, siue ex Deitate, & humanitate fit vnum non per naturam, sed per gratiam vnionis. Et ideo supra in decima distinctione diximus, quòd Christus est filius hominis, idest Virginis, natura, & gratia: nam Christus vt homo est filius Virginis natura, sed vt Deus, & homo, est filius Virginis per gratiam vnionis, per quam gratiam in Christo fuit humanitas iuncta Deitati. Patet ergo, quòd quantum ad vnitatem personæ Christi, in qua vnã persona fuerunt vnitæ duæ naturæ, quantum vnaquæque erat apta nata facere personam, sed non fecit, quia humana natura in Christo nullam constituit personam, sed induit quendam modum accidentis, cum accidentis modus sit non constituere personam, vel suppositum, sed sustentari in persona, vel in supposito, iam in esse constituto, ratione cuius modi accidentalis Paulus ad Philip. 2. humanitatem Christi vocat habitum, habitus autem est quoddam accidens, dicens de Christo, *habitu inuentus vt homo*, & quia sic immutare naturam, vel assumere in se naturam sic immutatam, non potest competere personæ creatæ, sed increatæ, & personæ, quæ non est purus homo, sed est verus Deus, bene dixit Apostolus ad Philip. in eodem capitulo: *cum in forma Dei esset non rapinam abstratus est se esse equalem Deo*. Manifestum est ergo quomodo ex vnitatem naturarum in vna persona Christi non debet concedi simpliciter, & absolute loquendo, quòd persona illa sit creatura, cum sit verus Deus.

Ex vnitatem duarum naturarum in vna persona Christi non debet concedi absolute Christum esse creaturam.

Secunda via ad hoc idem potest sumi ex virtuositate illius personæ: nam licet illa vna persona Christi sit verus Deus, & simpliciter, & absolute loquendo, non sit concedendum, illum esse creaturam, est tamen tantæ virtuositatis illa vna persona, vt possit supplere vices cuiuscumque

Aegid. super iij. Sent.

A que suppositi creati, vel cuiuscumque personæ creatæ, & illius suppositi, vel personæ, quam constituit natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo: assumpta autem à Verbo non constituit personam, vel suppositum, sed sustentata est in persona, vel supposito Verbi ab eterno in esse constituto. persona verò, vel suppositum Verbi sic sustentans naturam humanam, non constituentem personam, vel suppositum, supplet vices illius suppositi, vel personæ, quam constituit natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo. Et in hoc clarissime potest liquidè apparere, secundum quòd est possibile homini, quomodo facta sit incarnatio Verbi. Diximus autem, secundum quòd est possibile homini, quia si volumus bene considerare imbecillitatem intellectus nostri *sumus omnino insufficientes soluere corrigiam calceamentis sui*, idest enarrare mysterium incarnationis ipsius: sed modo, quo est possibile nobis, sic facta fuit incarnatio, quòd Verbum assumens in vnitatem personæ suæ naturam humanam, suppleret vices illius personæ, quam constituit illa natura humana, si non fuisset sic assumpta: & suppleto vices illa persona Verbi, verificatur de persona Verbi, quicquid verificatum fuisset de illa persona, quam constituit illa natura, si non fuisset à Verbo assumpta. Et quod illa persona, quam constituit illa natura, fuisset fatigabilis, passibilis, & mortalis, & ad vltimum esset mortua, vel potuisset mori, ideo omnia verificata sunt de persona Christi, quæ erat persona diuina, & verus Deus, iuxta illud Ioannis 4. *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat supra fontem*. Fuit autem illa persona passibilis, & mortalis, & in cruce passa, & mortua. Et quia suppleuit vices alterius personæ, solum est possibile personæ diuine, quæ est verus Deus, cum sicut sola natura diuina potest supplere vices alterius nature humanæ, & cuiuslibet alterius nature, sic sola persona diuina possit supplere vices alterius personæ humanæ, & cuiuscumque alterius personæ, quantum est de possibilitate absoluta: licet fortè quantum est de congruitate potuisset assumere talem naturam, & supplere vices talis

Ex virtuositate suppositi diuini probatur Christum simpliciter non posse dici creaturam.

Io. c. 10.

Io. c. 4.

Persona Christi fuit passibilis, & mortalis.

personę, vel suppositi, quę suppletio non A esset congrua, quia secundum Aug. 13. de Trinit. cap. 10. *Et si alius modus fuit possibilis, nostrę tamen miserię sananda nullus congruentior.* Concludamus ergo, & dicamus, quod, quia sola persona diuina potest supplere vices cuiuscunque alterius personę: ideo ex virtuositate personę Christi, suppletis vices alterius personę, modo, quo dictum est, non debemus concedere simpliciter, & absolute loquendo Christum esse creaturam.

Sola persona diuina potest supplere vices cuiuscunque alterius personę.

Ex nomine ipsius Christi concluditur ipsum absolute non esse dici creaturam.

Tertia via ad hoc idem sumi potest ex eo quod importatur nomine Christi, quia B nomine eius importatur vt sit Deus, & homo, iuxta illud Symboli: *Est ergo fides recta vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.* Sed de eo, qui est Deus & homo, non debet concedi simpliciter, & absolute, quod sit creatura: ergo &c.

RESP. AD ARGUMENTA.

S. Leo, & alij Doctores cum dicunt sine limitatione Christum esse creaturam, sunt pie exponendi, dicendo id fecisse, vt sermonis breuitati studeant.

Ad primum dicendum, quod sicut Magister dicit in littera, absolute loquendo, non est concedendum, Christum esse creaturam. Et si hoc inueniatur dictum C ad Sanctis, vel Doctoribus, quod Christus sine aliqua determinatione dictus sit creatura, hoc causa breuitatis fuit dictum, & fuit determinatio omissa. Nam modo, qui infra patebit, cum additione, quod Christus in eo quod homo, vel Christus cum hac determinatione quantum ad humanitatem potest dici creatura.

D. Damasc. concedit Christum esse creaturam humanitate, non absolute.

Ad secundum dicendum, quod Damascenus non concedit simpliciter, & absolute, quod Christus sit creatura, sed cum hac determinatione, humanitate, vel secundum humanitatem hoc concedit.

Responsio aliorum.

Ad tertium autem respondent dicta communia, quod creatura non est quid superius ad hominem, adducentia illud de causis: *Prima rerum creaturarum est esse,* vt habetur in quarta propositione ibidē. Dicunt ergo, quod esse est per creationem, cetera vero per informationem. Sed per hoc non possunt se tueri, quin omnia sint per creationem non solum esse, sed etiam essentia, & non solum essentia formę, sed essentia materię. Vnde Aug. 12. Confessionum ait ipsam naturam Angeli-

cam esse factam, & creatam a Deo, quę est quedam forma, & ipsa materia, iuxta illud: *Duo reperio, quę fecisti carentia temporibus, cum tibi neutrum coeternum sit, unum propē te, vt naturam Angelicam, & aliud propē nihil, vt materiam informem.* Ipsa enim materia secundum se non est nihil, sed est prope nihil, quia secundum Commentat. *Est medium inter ens, & nihil.* Omnia ergo sunt facta a Deo per creationem, iuxta illud, quod habetur Ioann. 1. de Verbo diuino: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Omnia ergo facta sunt per Verbum diuinum, non ergo solum esse est per creationem, sed essentia, & materia, & forma, & omnes creature visibiles, & inuisibiles sunt a Deo per creationem.

Omnia sūt per creationē etiā esse, & essentia.

Io. cap. 1.

Possumus ergo aliter respondere ad argumentum. Nam cum dicitur, quod de quo predicatur inferius, predicatur superius: dici potest, quod ista ratio potest impediri ex speciali repugnantia, quam habet superius, & non inferius, sicut est in proposito, quia esse creaturam habet specialem repugnantiam ad Christum, nam semper creatura est de non ente, vt dicit Damasc. lib. 3. cap. vltimo. Cum ergo esse de non ente specialiter repugnet Christo, qui est Deus, & homo: & vt est Deus, est de substantia Dei, quia est Deus de Deo, cui tanquam Deo specialiter repugnat non esse, ideo non tenet argumentum. Vel possumus dicere, quod cum dicitur de quo predicatur inferius, predicatur & superius: intelligendum est de ijs, quę habent ordinem essentialem, & quia homo animal, & substantia habent ordinem essentialem ad inuicem, de quo predicatur homo, & animal; & de quo predicatur animal, & substantia: sed cum totum ens aliud a Deo sit creatura, & cum totum ens, & omnes creature non possint habere ordinem essentialem ad inuicem non tenet argumentum.

Responsio Aegidij.

Maior argumenti est vera, quando in illo superiori adicit repugnantia aliquid, quę non est in illo inferiori.

Vel dicēdū quod maior argumenti est vera in his, quę habent essentialem ordinem ad inuicem.

Ad quartum argumentum respondebitur in quęstione sequenti.

Ad quintum dicendum, quod a parte denominatur totum, quando illa denominatio non est apta nata competere nisi parti, vt totus homo dicitur crispus, si habeat caput crispum, quia crispitudo non habet esse nisi in capite. Et totus homo dici-

Argumenti maior est vera quando denominatio est apta nata competere toti, & parti: si quado est apta nata competere parti tantum, est falsum.

Vel dicitur quod humanitas proprie non potest dici pars Christi.

dicitur claudus si habeat pedem claudum, quia claudicatio proprie loquendo, non habet esse nisi in pede. Sed non est sic in proposito, quia esse creaturam competit cuilibet alij a Deo; siue sit pars, siue totum, siue substantia, siue accidens. Vel possumus dicere, quod non proprie humanitas pars Christi dicitur, nam cum in Christo sint duae naturae, humana scilicet & diuina, quaelibet natura praedicatur de toto Christo, quia totus Christus est homo, & totus Christus est Deus; cum reduplicatione posset contrahere falsitatem, ut si diceretur totus Christus in eo, quod totus, idest, secundum vtramque naturam, est homo: & totus Christus in eo quod totus, idest secundum vtramque naturam est Deus, quia Christus hoc modo, idest secundum vtramque naturam, est Deus, & homo, namque secundum diuinam, est Deus, & secundum humanam, est homo; loquutio ergo illa cum reduplicatione contraheret falsitatem.

Ad sextum dicendum, quod ut ait Damascen. lib. 3. cap. 30. *Nasci non est natura, sed hypostasis*: cum ergo in Christo non sit nisi vna Hypostasis, & vnum suppositum, videlicet suppositum diuinum, & increatum, cui supposito diuino, & increato specialiter repugnat esse creaturam, non autem sic specialiter repugnat eidem esse de Virgine temporaliter natum, quia Deus factus homo est de Virgine temporaliter natus, ergo non est simile, quod inducebatur pro simili.

D. Damasc. lib. 3. c. 30.

Negatur similitudo in argumento adducta.

DISTINCTIONIS XI.

QVAESTIO SECUNDA PRINCIPALIS.



SECUNDO quaeritur de secundo principali: nam dato quod simpliciter, & absolute loquedo, Christus non possit dici creatura.

Vtrum cum hac determinatione in quan-

tum homo Christus possit dici creatura, sicut Magister noster sentire videtur in littera. Circa id verò quaeruntur duo.

Nam primò quaeritur de eo, quod dictum est.

Secundò quaeritur. Vtrum ea, quae sunt humanae naturae, possint dici de Dei Filio.

ARTIC. I.

Vtrum Christus in quantum homo sit creatura. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 16. art. 10. Caiet. Silu. Medina. Cabr. Scorus in 3. d. 11. q. 2. D. Bon. q. 1. & ibidem Ricch. & Dur. Rag. ad 3. p. disp. 15. Vasquez ad 3. p. q. 16. tom. 1. disput. 66. per totam. Aluar. ad 3. p. q. 16. disp. 72. Rada 3. p. cont. 8. art. 3.



PRIMUM sic proceditur. Videtur enim, quod Christus cum hac determinatione, secundum quod homo, non debeat dici creatura. Argue-

mus enim argumento illo, quod in praecedenti quaestione dimisimus insolutum. Nam si Christus secundum quod homo, est creatura, vel hoc erit secundum quod homo increatus, vel creatus; si secundum quod homo increatus implicaret loquutio falsitatem, quia si secundum quod homo posset dici Christus increatus, ergo secundum quod homo posset dici Christus aeternus, quod est falsum. Si autem Christus secundum quod homo, posset dici creatus: ergo absolute loquendo Christus posset dici creatura, quod in praecedenti quaestione negabatur.

Fuit quartus argumentus superioris quaestionis.

Præterea. Quicquid competit alicui secundum id, quod essentialiter praedicatur de eo, competit ei absolute, & simpliciter: sed homo essentialiter praedicatur de Christo, cum sit in Christo natura, & essentia humana; ergo si secundum quod homo Christus potest dici creatura, simpliciter, & absolute Christus esset creatura, quod superius negabatur.

Præ-

Præterea. Pôtius potest dici Christus secundum quod homo, quod sit filius adoptiuus, quam quod sit creatura: sed non concedimus, quod Christus secundum quod homo sit filius adoptiuus: ergo multo minus debemus concedere, quod Christus cum hac determinatione, secundum quod homo, sit creatura.

Præterea. Secundum quod Magister dicit in littera: Nec est loquutio tropica, idest figuratiua, quod Christus secundum quod homo est creatura: sed non potest dici de Christo, secundum quod homo, aliquid secundum loquutionem tropicam, idest figuratiuam, nisi cum aliqua improprietate: at si de Christo secundum quod homo, dicitur aliquid cum improprietate: ergo Christus non est propriè homo, quod quilibet negaret:

Præterea. Nihil est creatum in Christo, nisi natura humana: sed Christus non est sua natura humana, quia non est sua humanitas, licet sit sua Deitas: ergo Christus secundum quod homo, idest, secundum suam humanitatem, non est creatura, cum non sit sua humanitas.

Præterea. Ista se compatiuntur, quod Christus sit homo, & Deus, sed ista (vt videtur, se non compatiuntur, quod Christus sit Deus, & creatura, quia esse creaturam repugnat ei, quod est esse Deum: ergo Christus secundum quod homo, non est creatura, quia si secundum quod homo, esset creatura, sicut se compatiuntur esse hominem, & esse Deum, ita se comparerentur esse Deum, & esse creaturam.

IN CONTRARIUM est, quia quod non est æternum, est quid creatum, & est creatura: sed Christus secundum quod homo, non est æternus: ergo est quid creatum, & est creatura.

Præterea. Quicquid est factum secundum quod huiusmodi, est quid creatum, & creatura: sed Christus secundum quod homo, est quid factum, quando est factus homo: ergo secundum quod huiusmodi est quid creatum, & creatura.

Præterea. Omnis conditio alicuius naturæ verificatur de aliquo indiuiduo, vel de aliquo singulari, prout est gerens naturam illam: sed homo significat naturam humanam, cuius conditio est, quod

A sit creatura: ergo Christus secundum quod homo, debet dici creatura.

R E S O L V T I O.

In hac propositione, Christus secundum quod homo est creatura, si ly homo stat pro natura tantum, sic est vera, & propria loquutio: sed si stat pro natura, & supposito simul, sic est loquutio tropica, & vera per synecdochen.

RESPONDEO dicendum, quod loquutio hæc, Christus secundum quod homo est creatura, multiplicem potest habere intellectum: nam istud: secundum quod homo, potest reduplicare ipsam humanitatem, seu naturam humanam, & tunc loquutio præfata secundum modum hunc, nullum habet dubium, quod Christus secundum quod homo, idest secundum humanitatem, est creatura, quia ipsa humanitas, siue natura humana in Christo est, creatura. Hoc est ergo, quod ait Damasc. lib. 3. cap. 32. *Hypostasis Verbi Dei ante incarnationem simplex erat, & incomposita, incorporea, & increata, in incarnatione autem ipsa facta est composita ex Deitate, quam semper habuit, & ex ea, quam assumpsit carne, & fert duarum naturarum idiomatica in duabus cognita naturis.* Et subdit: *Quare ipsa vna hypostasis increata ex Deitate, & creata humanitate, visibilis, supple humanitate, & inuisibilis, supple Deitate.* Hoc ergo modo non cogemur diuidere vnum Christum, duas hypostases dicentes, nec naturarum cogimur negare differentiam, conuersionem, vel confussonem in naturis inducentes. Sic ergo debemus saluare in Christo unitatem personæ, vel hypostasis, quod non confundamus in Christo differentiam naturarum: sed cuiuslibet natura reddamus sua idiomatica propria, vt dicamus vnã, & eandem hypostasim Christi esse increatã, & creatã, increatã Deitate, & creatã humanitate. Secundum ergo Damascenã, propriè, & absolutè negare debemus Christum esse creaturam quantum ad Deitatem, & propriè, & absolutè concedere debemus Christum esse creaturam quantum ad humanitatem, quia Deitas Christi est increata, sed humanitas eius est creatã,

D. Damasc.
lib. 3. c. 32.

creata, & per consequens est creatura, quia omne creatum est creatura, & è conuersò.

obediò. Sed dices, cum Christus non sit sua humanitas, quomodo Christus secundum humanitatem potest dici creatura. **Solutio.** Ad quod dici potest, quod aliqua vocabula sic prædicantur in concreto, quod non prædicantur in abstracto: nam Christus sic est homo, ut non sit sua humanitas. Et aliqua sunt vocabula, quæ de quocunque prædicantur in concreto, prædicantur in abstracto, & è conuersò: nam esse creatum dicit quid concretum, & esse creaturam dicit quid abstractum, sed ista duo quantum ad creationem pari passu currunt, & ad inuicem conuertuntur, quia omnis creatura est quid creatum; & omne creatum est creatura. Si autem de hoc vellemus reddere rationem, dicemus, quod formæ, & naturæ speciales non denominant se ipsas, nec prædicantur de seipsis secundum concretum, & abstractum, quia humanitas non est homo, nec homo est sua humanitas, quia humanitas est formæ, & natura specialis: sed formæ, & naturæ generales denominant se ipsas secundum concretum, & abstractum, quia veritas est vera, & vnitas est vna, bonitas est bona, & entitas est ens: sic creatura est quid creatum, & omne quid creatum est creatura. Cum ergo transcendimus de naturis specialibus, vbi abstracta non prædicantur de concreto, nec è conuersò, ad naturas, & loquutiones generales, vbi abstracta de concreto prædicantur, & è conuersò: tunc ipsa specialia sumunt modum loquendi generalium: propter quod licet Christus secundum quod homo, non sit sua humanitas, nec è conuerso, tamè Christus secundum quod homo, est quid creatum, & est creatura. Benè ergo dicit Damasc. *Christus humanitate est creatura, & Deitate est quid increatum.* Verificata est ergo ista loquutio, Christus secundum quod homo, scilicet secundum humanitatem, est creatura, & quia verificata est hæc loquutio in abstracto quantum ad humanitatem, quam importat Christus, in eo volumus eam verificare in concreto, quomodo Christus secundum quod homo, non secundum humanitatem in abstracto,

A sed secundum quod homo in concreto, possit dici creatura.

Ad cuius euidentiam sciendum, quod ista loquutio, Christus secundum quod homo est creatura, potest hoc modo verificari. Nam Christus non potest considerari secundum quod est homo, nisi prout esse hominem prædicatur de ipso; sed termini positi in prædicato semper se tenent ex parte formæ, vel naturæ, sicut termini positi in subiecto, semper se tenent ex parte suppositi: & inde est, quod id, quod Logici dicunt subiectum, & prædicatum,

B Græci dicunt suppositum, & appositum, quia semper terminus positus in subiecto se tenet ex parte suppositi, sicut terminus positus in prædicato se tenet ex parte naturæ, vel formæ. Cum ergo dicimus, quod Christus secundum quod homo, est creatura, & hoc dictum (secundum quod est homo) se teneat ex parte prædicati, & terminus positus in prædicato se teneat ex parte naturæ, vel formæ, quantumcunque sit terminus positus in concreto, quia semper prædicatum tenet locum naturæ, vel formæ: Cum Christus secundum quod est homo, ly homo sit terminus positus in prædicato, & hoc modo positus in prædicato dicat naturam, vel formam humanam, quæ natura, vel forma humana est creatura, concedi potest absolute, quod Christus secundum quod est homo, & secundum quod est terminus positus in prædicato, est creatura: quia hoc modo sic positus in prædicato, dicit naturam, vel formam humanam, quæ simpliciter, & absolute loquens, est creatura.

C Potest autem & tertio modo hoc verificari, quod Christus secundum quod homo sit creatura, ut sit sensus, Christus secundum quod homo, id est, cum Christus sit Deus, & homo, Christus secundum quod homo, id est, ut differt a seipso, ut est Deus, est creatura. Hoc etiam tertio modo habebit loquutio simpliciter veritatem: nam in Christo tria sunt, vnum, suppositum æternum, & due naturæ, vna temporalis, & humana, & alia æterna, & diuina. Christus ergo ut est homo, & ut differt à seipso, ut est Deus, non dicit nisi naturam humanam, secundum quam est simpliciter creatura: nam si Christus, ut Deus

Notandum
Prædicati in propositione semper tenent ex parte formæ, vel naturæ. Subiectum autem ex parte suppositi.

Cur concedatur, quod Christus secundum quod homo sit creatura absolute.

Deus dicit diuinum suppositum, quod est verus Deus, & diuinam naturam, quæ est verè Deitas, Christus vt homo est, & vt differt à se ipso, vt est verus Deus, dicit humanam naturam, quæ simpliciter, & absolutè loquendo, verè est creatura. Assignati ergo sunt tres modi, secundum quos Christus cum hac determinatione secundum quod homo, simpliciter, & absolutè loquendo, non simpliciter, & per omnem modum, sed cum præfata determinatione, secundum quod homo, est creatura.

Possimus etiam assignare duos alios modos, secundum quos, sequendo proprietatem loquutionis, non verificabitur hæc loquutio: Christus secundum quod homo est creatura. Vt primus modus sit, prout hic terminus homo se tenet ex parte subiecti: nam sicut terminus, se tenens ex parte prædicati dicit naturam, vel formam, sic terminus, vt se tenet ex parte subiecti, dicit ipsum suppositum, & in hoc quodam modo Græci loquuntur propriè: nam vbi Logici dicunt subiectum, & prædicatum Græci dicunt appositum, & suppositum; quæ loquutio in hoc est propria, quia sicut terminus positus in prædicato secundum proprietatem loquutionis dicit naturam, vel formam, sic terminus positus in subiecto secundum proprietatem loquutionis dicit ipsum suppositum. Hoc ergo modo Christus secundum quod homo, idest, vt ly homo se tenet ex parte subiecti, vel ex parte suppositi, non est creatura: quia in Christo non est nisi vnum suppositum, quod est diuinum, & est vnus Deus, & non creatura.

Quod est Logici subiectum, & prædicati, est Græcis appositum, & suppositum.

Potest autem secundo modo falsificari, quia Christus secundum quod homo non est creatura: vt dicatur Christus secundum quod homo, idest secundum totum id, quod includit homo, est creatura. Nam hic terminus homo, quantum ad totum id, quod includit, vel quantum ad totum id, quod importat, cum importet naturam, & suppositum, & in Christo non sit nisi vnum suppositum, & illud suppositum est diuinum, vt est vnus Deus, non possumus simpliciter verificare, quod Christus secundum quod homo, idest, secundum id totum, quod importat homo.

Homo secundum totum importat naturam, & suppositum.

A fit creatura, quia etsi natura humana in Christo est creata, suppositum tamen illud, in quo sustentatur natura humana, cum sit verus Deus, non est creatura. Vnde & Magister in littera vult, quod, cum dicitur Christus secundum quod homo, est creatura, est loquutio tropica, idest figuratiua, prout per synedochen, quod est partis, attribuitur toti. Nam hoc totum Christus secundum quod homo, idest, vt includit, & importat naturam, & suppositum diuinum, non est creatura, nisi per synedochen, videlicet, quod prout est partis, idest, quod est naturæ humanæ, quæ est creatura, attribuitur toti, idest naturæ, & supposito.

B Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod etiam dicitur Christus secundum quod homo esse creatura, si ly homo ex congruitate expositionis stet pro natura humana, quia satis est congrua expositio, Christus secundum quod homo, idest secundum naturam humanam, est creatura, vel hoc sit ex proprietate loquutionis, vt dicatur Christus secundum quod homo, idest secundum quod de eo prædicatur homo, quia terminus positus in prædicato dicit ipsam naturam, vel formam seu secundum proprietatem loquutionis, sicut positus in subiecto dicit ipsum suppositum, quia aduc satis potest saluari quod Christus secundum quod homo sit creatura: vel si ly homo importet totam naturam, idest humanam, & suppositum, idest diuinum, in quo sustentatur illa natura humana: tunc enim verificatur illud quod dicit Magister in littera, quod est loquutio tropica, & figuratiua, quia quod importat natura, & suppositum attribuitur parti, idest attribuitur naturæ humanæ, secundum quam Christus est creatura. Aduertendum tamen quod scripta communia in his duabus quæstionibus, videlicet in hac quæstione, & in sequenti intricatè, & sine clara explicatione loquuntur.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum cum dicitur Christus secundum quod homo est creatura, vel hoc est secundum quod homo creatus, vel secundum

ly homo si stat pro supposito, sic est increatus: si stat pro natura sic est creatus: si stat pro utroque sic est loquutio tropica, & vera per synecdochē.

Non est simile de puro homine, & de Christo, qui est Deus, & homo.

Negatur maior argumenti.

Negatur minor argumenti, ad probationem negatur assumptum, quia non est simile de homine, & de creatura ut predicatur de Christo.

dum quòd est homo increatus. Dicitur debet, quòd Christus secundum quòd homo, est creatura, vel ly homo stet pro supposito, quod est in Christo, vel pro natura humana, quæ est in Christo, vel pro utroque. si stat pro suo supposito, secundum se est quid increatum, si stat pro natura humana, secundum se est quid creatum: si stat pro utroque poterit esse vera loquutio, sed figuratiua, vel tropica, ut dicit Magister, quoniam quod conuenit naturæ humanæ, scilicet esse creatum attribuitur toti, idest naturæ, & supposito.

Ad secundum dicendum, quòd concedendo, quòd Christus secundum quòd homo est creatura, in puro homine, qui est tantum homo, posset simpliciter argui, quòd esset creatura, sed in Christo, qui non est tantum homo, sed est Deus, & homo, concedere cum hac additione, secundum quod homo, est creatura, non est concedere simpliciter ipsum esse creaturam.

Ad tertium dicendum, quòd plus repugnat Christo esse filium adoptiuum, quam esse creaturam, quia esse filium adoptiuum repugnat ei, ut est Deus, quomodo est filius naturalis, & repugnat ei ut est homo, quia hoc modo non est filius adoptiuus, idest per gratiam adoptionis, sed per gratiam vnionis. Sed Christo esse creaturam, licet repugnet in eo quod Deus, non repugnat ei in eo quod homo, idest in eo, quod habet humanam naturam, quia humana natura in ipso est creatura. Falsum ergo supposebat ratio, quòd potius, vel magis posset dici de Christo esse filium adoptiuum, quam esse creaturam.

Ad quartum dicendum, quòd hæc loquutio, Christus secundum quòd homo est creatura, multis modis est propria, licet aliquo modo sit impropria, & figuratiua, secundum quem modum dicitur tropica. Sed quod concluditur in argumento, ut non possit dici proprie Christus homo, si non potest dici proprie creatura: patet falsum esse, quia esse creaturam magis repugnat diuino supposito, quam esse hominem. Nam diuinum suppositum, vel diuina persona assumendo in se naturam humanam, facta est homo, ut hoc mo-


do etiam proprie dicatur homo, sed proprie ex hoc non potest dici creatura, cum esse creaturam repugnet diuino supposito secundum se, non autem sic repugnat ei esse hominem.

Ad quintum dicendum, quòd humanitas cum sit forma specialis non predicatur de suo supposito in abstracto, quia nullum suppositum humanum est sua humanitas; licet predicetur in concreto, quia quodlibet suppositum humanum est homo; tamen aliquando additiones ampliant loquutiones: propter quod cum dicitur Christus secundum quod homo, est creatura, hæc additio, *secundum quòd homo*, ampliat loquutionem propositam, quia satis hæc loquutio patitur hanc expositionem, quòd Christus secundum quòd homo, idest secundum humanitatem est creatura, non obstantè, quòd humanitas in abstracto non predicetur de Christo.

Ad sextum dicendum, quòd licet hæc duo se compatiuntur, esse hominem, & esse Deum: ista tamen non se compatiuntur esse humanitatem, & esse Deum. quia licet homo ille sit Deus, humanitas tamen illius hominis non est Deus. Et quia vnus modus est proprius expositionis prefatæ loquutionis, quòd Christus, secundum quod homo est creatura; Christus secundum suam humanitatem est creatura, quia illa additio, *secundum quòd homo*, ampliat prefatam loquutionem, ut possit hoc intelligi in abstracto de sua humanitate, atque ita dicatur Christus secundum quòd homo, idest secundum suam humanitatem, est creatura; ideo ut patet huiusmodi argumentum, vel loquutio non concludit.

Humanitas cum sit forma specialis non predicatur de suo supposito in abstracto: sed in concreto: tamen aliquando additiones ampliant loquutiones.

Negatur vltima argumenti consequentia.



A R T I C. II.

*Vtrum ea, quæ sunt humanæ naturæ
possint dici de Filio Dei. Conclu-
sio est affirmatiua.*

D. Thom. 3. p. q. 16. art. 5. Caiet. Silu. Med. Cab. Aluar.
ibidem. Ragusa ad 3. p. à disput. 118. vsque ad 121.
Vasquez ad 3. p. q. 16. tom. 1. disp. 63. per totam.
Val. ad 3. p. tom. 4. q. 16. punct. 1. 2.
& 3. Suar. ad 3. p. tom. 1.
disp. 35. per totam.



VLTIMO quæritur. Vtrum
ea, quæ sunt humanæ na-
turæ, possint dici de Filio
Dei. Et videtur, quòd non,
quia ea, quæ sunt huma-
næ naturæ, vel sunt pro-
prietates eius, vel saltem sunt quid crea-
tum. Sed Dei Filius non informatur ali-
quo creato: ergo &c.

Præterea. Proprietates naturæ diuinæ
còpetunt Filio Dei, quia Filius Dei est ip-
sa natura diuina, si ergo proprietates natu-
ræ humanæ competerent Filio Dei, se-
queretur, quòd Filius Dei esset ipsa natu-
ra humana: sed hoc est falsum, quia li-
cèt Dei Filius sit suâ Deitas, non tamen
est sua humanitas: ergo &c.

Præterea. Naturæ humanæ conuenit
assumi à Filio Dei, & esse vnitam Filio
Dei: Sed hoc non conuenit Filio Dei,
quòd ita sit assumptus, vel vnitus: er-
go, &c.

Præterea. Hæc est vera de Christo,
quòd ille homo est prædestinatus esse Fi-
lius Dei; sed hæc est falsa: Filius Dei præ-
destinatus est esse Filius Dei; ergo ea,
quæ sunt hominis non competunt Filio
Dei.

IN CONTRARIUM est, quia
quicquid prædicatur de aliquo, prædica-
tur de illo omne consequens ad ipsum:
sicut prædicatio accidentalis, vt albus, si
prædicetur de homine, itaut hæc sit vera:
Homo est albus, prædicabitur de homi-
ne omne illud, quod sequitur ad esse al-
bum: cum ergo ad esse album sequatur
esse coloratum, si hæc est vera, homo
est albus, hæc erit vera, homo est colo-
ratus. Cùm ergo de Dei Filio prædicetur

A homo, quia hæc est vera propositio: Dei
Filius est homo: de Filio Dei prædicabi-
tur, & verificabitur, quicquid sequitur
ad esse hominem.

Præterea. Quæcunque supposita con-
sequuntur naturam aliquam, de illis sup-
positis verificabuntur omnia, quæ insunt
illi naturæ, sed Dei Filius est suppositum
humanæ naturæ: ergo omnia consequen-
tia humanam naturam possunt prædicari
de Filio Dei.

B Præterea. Christus est persona substi-
stens in duabus naturis, diuina scilicet, &
humana: sed omnia, quæ verificantur de
natura diuina, verificantur de Christo:
pari ergo ratione omnia, quæ verificantur
de natura humana, verificabuntur de
Christo: Sed Christus est Filius Dei: er-
go omnia talia verificabuntur de Filio
Dei.

C Præterea. Non videtur magis repu-
gnare Filio Dei, quòd sit crucifixus, pas-
sus, & mortuus, quàm aliquid aliud, sed
Dei Filius dicitur esse crucifixus, passus,
& mortuus: ergo multo magis omnia
alia spectantia ad naturam humanam,
verificabuntur de Filio Dei.

R E S O L V T I O.

*Quæ spectant ad humanam naturam,
quæque alijs hominibus competunt, vt
homines sunt, de Filio Dei, prout assu-
mens veram naturam humanam, est
factus verè homo, verificari, ex quin-
que capitibus ostenditur.*

R E S P O N D E O dicendum,
quòd quinque vijs probare possumus,
omnia spectantia ad naturam humanam,
& ea, quæ competunt alijs hominibus,
vt sunt homines, verificari de Filio Dei,
prout assumens naturam humanam, est
factus homo. Vt prima via sumatur prout
Dei Filius comparatur ad Virginem Ma-
riam. Secunda, prout est in eo vera hu-
manitas, vel vera natura humana, sicut
est in cæteris hominibus. Tertia ex vnita-
te personæ. Quarta ex eiusdem personæ
virtuositate. Quinta ex Scripturæ diuinæ,
& ex Symboli autoritate.

Prima via sic patet. Nam Dei Filius
hoc modo factus est homo, quia factus
est.

est hominis filius, sed solum ille est hominis filius, qui est eiusdem naturæ, & eiusdem speciei cum homine, & de quo verificantur omnia illa, quæ verificantur de quolibet homine. Si ergo Dei Filius hoc modo factus est homo, quia est factus hominis filius, iuxta illud, quod dicebat Christus de se ipso: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et si hoc modo Dei Filius est homo, & filius hominis, quia verificantur de eo, quicquid verificatur de quolibet homine, prima via, ut patet, est declarata, nam hoc intendimus probare, quod ea, quæ verificantur de quolibet homine, verificantur de Filio Dei.

Secunda via ad hoc idem potest sumi ex veritate ipsius naturæ humanæ: nam non potest aliquid suppositum assumere, id est ad se sumere, & in se habere naturam humanam, nisi de illo supposito verificentur omnia illa, quæ pertinent ad humanam naturam: ergo cum Dei Filius assumpserit ad se, & habeat in se humanam naturam, verificantur de eo omnia, quorum ratio de necessitate est humana natura, sed humana natura est ratio passibilitatis, mortalitatis, & ceterorum talium: ergo Dei Filius, qui est ipsam suppositum diuinum, assumens in se humanam naturam, factus est passibilis, & mortalis, & verificatum est de eo, quicquid dictum est de natura humana, quam assumpsit.

Finis huius questionis cum reliquis tam multis, quæ in hoc tertio pertractari solent, desideratur. Nam Author ipse, aut negotijs prepeditus, aut morte preceptus, non potuit inchoatum librum absoluere: nisi quæ hic desunt, studiosorum fortè incuria interciderint, ut non facillè inueniantur. Ideo Reuerendissimus Pater M. F. Fulgentius Galluccius à Monte Georgio agri Piceni, Episcopus Tagastensis, Apostolici Sacrarum Præfatus, totius Ord. Eremit. S. P. Augustini Prior Generalis, Aegidij doctrinæ Professor, ad totius suæ Religionis decus, & ornamentum, cunctorumq. studiosorum commodum, diu, ac diligenter reliquam huius operis partem conquisiuit, quam cum inuenire non potuerit, laborauit plurimum, ne hoc opus truncum, aut
Aegid. super iij. Sent.

mutilum in lucem prodiret: peruolutis ergo singulis eiusdem Aegidij operibus, quæ diuersis in locis, & varijs occasionibus præfatus Author disseruit, ad tertium librum sententiarum spectantia, Idem Reuerendissimus Pater ad sua quæque loca reduxit, & singulis eiusdem libri distinctionibus, accomodauit.

Tertia via sumitur ex vnitatem personæ. Nam esse per se competit supposito, naturæ autem competit, ex eo quod est in supposito, hinc actio supposito attribuitur, ratio vero agendi ipsi naturæ, vel formæ: & secundum hunc modum loquitur Arist. I. de Anima. *Anima non intelligit, sed homo per animam.* & August. 15. de Trin. c. 22. *Memoria non meminit, nec intelligentia intelligit, sed homo per memoriam, & intelligentiam meminit, & intelligit.* Cum ergo natura humana in Christo sit ratio agendi, respectu actionum humanarum, debet assignari suppositum, cui tales actiones attribuantur; actiones enim, & passionibus sunt suppositorum; & quia in humana natura à Christo assumpta non est suppositum humanum, sed suppositum Verbi sustentans utramque naturam, diuinam scilicet, & humanam: ideo quæ attribuuntur supposito ratione naturæ humanæ, de Verbo Dei Filio dici possunt, cum sit suppositum, & persona, dictam naturam humanam sustentans.

Quarta via desumitur ex eiusdem personæ virtuositate: quia sicut virtus infinita diuinæ naturæ facit, ut ipsa possit supplere vices cuiuslibet naturæ creatæ, quantum ad esse, & ad efficere; sic suppositum diuinum ex sua infinita virtute potest supplere vices cuiuslibet suppositi creati, quantum ad supponere, & sustentare: unde natura humana in Christo est sustentata à supposito Verbi, quod gerit vices, & supponit pro persona creatæ, quam constituisset illa natura humana, si non fuisset à Verbo assumpta. Ex quo sequitur, ut verificentur de supposito diuino in Christo, quicquid verificatum esset de supposito humano, si ibi fuisset, quia supplet vices eius, & supponit pro eo.

Quinta via sumitur ex diuinæ Scripturæ, & Symboli autoritate: nam Isai. 53.

R r dici-

Matth. 16.

Ratio passibilitatis in Christo est humana natura.

Ex Aegid. 1. sent. d. 5. pr. 1. q. 1. & supra d. 1. p. 1. q. 1. & 6.

Arist. 1. de Anima. text. c. 66.

D. P. Aug. 15. de Trin. c. 22. no. 3.

Ex Aegid. supra d. 10. p. 1. q. 3. a. 1. & d. 12. p. 1. q. 2. et 3.

Iſa. c. 53.

Rabbi Moyſes .

Gloſſ. in-
eglin.D. Athan.
in Symb.

dicitur de Filio Dei : *Verè languores noſtros ipſe tulit , & dolores noſtros ipſe portauit*, quem locum Rabbi Moyſes Iudæus. Glo. interlin. & ferè communiter omnes de Chriſto Dei Filio intelligunt, præcipuè autem Gloſſa prædicta ait : *Dei Filium*, non putatiuè , ſed verè fuiſſe crucifixum , & verè doluiſſe : dolores autem non poſſunt competere Filio Dei , niſi ratione humanitatis aſſumptæ, ex ipſa aſſumptione facta eſt communicatio idiomatum , itaut quæ dicuntur de homine , Deo attribuantur, & è conuerſo. D. Athan. etiam in Symbolo idem docet , dum ait : *Perſectus Deus , perſectus homo ex anima rationali , & humana carne ſubſiſtens* . non eſſet autem Dei Filius perfectus homo , niſi de ſeo verificarentur quæ de vero , & perfecto homine dicuntur .

A ſecundùm Damafcenum, *Vt Deum faceret hominem , & hominem Deum* .

Ad quartum dicendum, quòd communicatio idiomatum debet ſemper ſumi ſine repugnãtia intellectuũ: & quia hominẽ fuiſſe prædeſtinatũ, eſſe Dei Filium non includit repugnantiam intellectuũ , quia Dei Filius nõ ſemper fuit homo , cùm non ſemper habuerit ſibi vnità humanitatem , ideo antecedens argumenti conceditur . Verũm, quòd Dei Filius, qui ab eterno fuit Filius Dei, dicatur prædeſtinatus, eſſe Filius Dei , includit repugnantiam intellectuũ , quia de re aterna prædeſtinatio eſſe non poteſt, ideo non eſt par ratio de eo quod dicitur in maiori , & de eo quod ſumitur in minori argumenti . & ſic negatur quod in Concluſione inferitur .

Ex Aegid.
ſup. d. 7. p.
2. q. 2. ar. 1.

Negatur ar-
gumentũ cõ-
ſequentia,
propter dif-
ſimilitudi-
nem per re-
petitionem
in maiori,
& minori.

RESP. AD ARGVM.

Chriſtus du-
pliciter cõ-
ſiderari po-
teſt , vt Fi-
lius Dei, &
vt filius ho-
minis : pri-
mo modo
non conſi-
tuitur per
ſimilitudina
tamẽ ſecun-
do mo-
do

Ad primum dicendum, quòd licet Dei Filius non informetur aliqua forma creata, vt eſt Dei Filius, attamen vt eſt filius hominis, informatur forma humana; quia in eſſe Filij Dei conſtituitur per filiationem, quatenus eſt proprietas relatiua; in eſſe autẽ hominis per humanitatem, quæ ex anima rationali, & carne coaleſcit, duas formas in Chriſto eſſe docet Apoſtol. ad Philip. 2. illis verbis : *Qui cum in forma Dei eſſet , non rapinam arbitratus eſt , eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens &c.*

Ex Aegid.
ſupra d. 9.
p. 1. q. 6. ad
3.

Non currit
ſimilitudo
naturæ di-
uinæ cum
perſona di-
uina, & na-
turæ huma-
næ reſpectu
perſonæ di-
uinæ.

Ad ſecundum dicendum, quòd licet reſpectu naturæ diuinæ Chriſtus Dei Filius ita ſit Deus, quòd eſt ſua Deitas propter omnimodam identitatẽ, & ſimplicitatem, tamẽ reſpectu naturæ humanæ ſic eſt vnucõ, & eſſentialiter homo, vt non ſit ſua humanitas propter diſtinctionẽ, & diuerſitatẽ naturæ humanæ à perſona Verbi, quæ ratione naturæ aſſumptæ dicitur homo, & verificatur de eo humanitas in concreto, non tamẽ dicitur humanitas de eo in abstracto, propter rationes ſupra aſſignatas, quas repetere eſſet nimis prolixũ .

Negatur ar-
gumentũ cõ-
ſequentia.

Ad tertiuũ dicendũ, quòd ad hoc, vt ea, quæ ſunt humanæ naturæ dicantur de Filio Dei, ſufficit humanam naturam fuiſſe à Dei Filio aſſumptam ad vnitatem perſonæ Verbi, quæ aſſumptio, & vnõ tanta fuit,

DISTINCTIO XII.



OST prædicta
queritur, &c.

Cùm in ſuperiori diſtinctione Magiſter determinaret de Chriſto homine quantum ad hunc defectum, qui eſt eſſe creaturam, in hac diſt. 12. determinat de eodem quantum ad hunc defectum, qui eſt incipere eſſe, & non ſemper eſſe. Diuiditur autem præſens diſtinctio in duas partes, in quarum prima determinat de eo defectu, quẽ omnis creatura confequitur, qui eſt incipere eſſe : in ſecunda agit de defectibus, quos ſpecialiter confequitur natura humana. Secunda incipit ibi, *Solet autem quæri, &c.* Prima pars diuiditur in duas partes: primò enim mouet quæſtionem, & obijcit ad vtramque partem. Secundò determinat eam. Secunda pars incipit ibi : *His ergo &c.* prima verò ibi : *De hoc Auguſtinus, &c.*

Intentio .

Diuiſio .

Secunda autem pars principalis, in qua determinat de defectibus, quos ſpecialiter confequitur humana natura, diuiditur in partes tres, quia primò inquirat de defectu culpæ quantum ad originem, aliundè, quàm ex peccatoribus potuiſſet carnem aſſumere. Secundò quærit de defectu culpæ quantum ad actum, vtrum ſci-

licet

licet peccare potuisset. Tertio inquit de defectu ex parte carnis, qui est sexus muliebris, vtrum scilicet potuerit assumere hominem in sexu muliebri. prima ibi: *Solet autem quæri*. Secunda ibi: *Ideo non immerito quæritur*. Tertia ibi: *Solet rursus quæri*. Et in hoc terminatur sententia præsentis lectionis, & distinctionis.

DISTINCTIONIS XII.
Pars Prima Principalis.

De defectu generali cuiuslibet creature.



QVIA Magister in littera quærit de duobus principaliter, videlicet de defectu, quem generaliter consequitur omnis creatura, qui est incipere esse, & de defectibus specialiter, quos specialiter consequitur humana natura, ideo de his duobus quæremus.

Circa primum quæremus duo.

Primum. Vtrum Christus incepit esse.

Secundum. Vtrum Christus Dei Filius possit dici factus.

QVAESTIO PRIMA PRINCIPALIS.

Quæ habet Articulum vnicum.

Vtrum Christus incepit esse. Conclusio est negativa.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 1. lect. 1. Dub. 7. D. Thom. 3. p. q. 16. ar. 9. Caiet. Suar. Cabr. Med. Richard. 3. sent. d. 11. art. 3. q. 1. D. Bon. 3. sent. d. 11. art. 2. q. 2. Rag. ad 3. p. disp. 124. Vasquez ad 3. p. disput. 76. per totam. Faudent. in 3. sent. disp. 26.

Ex Aegid. 1. sent. d. 9. p. 1. q. 3. & p. 2. q. 4.



PRIMO quæritur. Vtrum Christus incepit esse, & videtur, quod sic, quia quod non est æternum incipit esse: sed esse Christi non est æternum, quia tunc in

diuinis essent plures æterni, quod est contra Aegid. super iij. Sent.

Atra Athan. in Symb. *Non tres æterni, sed vnus æternus*: ergo Christus incepit esse.

D. Athan. in Symb.

Præterea. Omne, quod natum est, habet esse post esse gignentis: ergo si Filius Dei natus est, iam erat tempus, quando non erat Filius: sed quod sic nascitur, incipit esse: ergo &c.

Præterea. Secundum Philos. in lib. 1. de cælo, & mun. *Ingenitum conuertitur cum æterno*: ergo genitum, quod opponitur ingenito non compatitur secum æternitate: sed Christus Dei Filius est genitus: ergo nõ est æternus, & per consequens incipit esse.

Arist. lib. 1. de cælo, & mun. tex. com. 125.

B Præterea. Secundum eundem Phil. *Viueret viuentibus est esse*: sed Christus incepit viuere in sua conceptione: ergo tunc incepit esse.

Aegid. sup. d. 6. p. 3. q. 2. Arist. 2. de anima, t. 6. 37.

Præterea. Esse est à forma; sed in Christo est vna forma, quæ est anima rationalis, & hæc incepit esse: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia ipse Christus de seipso dicit Io. 8. *Antequam Abraham fieret ego sum*. & Apocal. 1. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, primus, & nouissimus*: sed principium non incipit, quia non esset principium: ergo &c.

Io. c. 8.

Apoc. c. 1.

R E S O L V T I O.

Christus in eo quod homo, incepit esse: in eo quod Deus, est æternus, & non incepit esse.

RESPONDEO dicendum, quod secundum Magistrum in Glossa, in huiusmodi loquutionibus, sine adiectione declarationis nihil responderi potest. Vnde si quærat, Vtrum ille homo incepit esse, dici debet, quod homo ille est Deus, & in eo quod homo incepit esse, in eo autem quod Deus est æternus, & esse non cœpit.

Gloss. Iyr. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 1.

R E S P. A D A R G V M.

Ad primum dicendum, quod æternum potest considerari dupliciter, vel adiectiuè, vel substantiuè: in diuinis non sunt plures æterni substantiuè, & secundum hunc sensum loquitur Athan. sunt tamen plures æterni adiectiuè, ideo idem Athan. ibidem ait: *Æternus Pater, æternus Filius, &c.*

In diuinis sunt plures æterni adiectiuè, non substantiuè.

In diuinis non sunt plures æterni substantiuè: sed adiectiuè.

Ad secundum dicendum, quod illa propositio non est vniuersaliter vera, quamuis Arius per eam probaret, Filium Dei non esse Patri cœternum, vnde August. lib. 1. de Trin. c. 1. ostendens dictam propositionem non esse vniuersaliter veram,

Negatur ap. gumeti m. 1. or. propositio.

Rr 2 ait

D. P. Aug. l. 1. de Trin. c. 1. tom. 1.

ait: *Splendor, qui ab igne gignitur coævus est igni, & esset coæternus, si ignis esset æternus.* Filius autem procedit à Patre, ut splendor ab igne, ut vult ibidem August. & Damasc. lib. 1. cap. 9.

Ad mino-
re dicitur;
Christum
non esse ge-
nitum, ut
de genito
loquitur
Arius.

Ad tertium dicendum, quòd ingenitum secundum quod Philosophus ingenitum posuit, conuertitur cum æterno: sed Christus Dei Filius non est sic genitus, ut Philosophus accipiebat genitum, ut in 1. lib. sent. dictum est,

Christus in-
cepit viue-
re vita ho-
minis, non
autem vita
Dei.

Ad quartum dicendum, quòd viuere, & vita possunt accipi pro ipso essentiali, secundum quem modum loquitur Augustinus in libro Confessionum, quòd anima est vita carnis, vel corporis, hac autem vita fuit priuatum corpus Christi in morte, quia ipsa essentia animæ fuit separata ab ipso; & secundum hanc vitam incœpit esse; sed si vita sumatur pro essentia Dei, sic vita eius est æterna, nec incœpit esse.

Christus se-
cundum ef-
fe, quod ha-
bit ab ani-
ma rationa-
li, incœpit
esse secun-
dum huma-
nitate: non
autem secun-
dum esse,
quod ha-
bit à diui-
nitate sibi
à Patre ab
æterno cõ-
municata.

Ad quintum dicendum, quòd in Christo est duplex esse essentiæ, quia in eo est duplex natura, diuina scilicet & humana, & est vnum esse subsistentiæ, quia in eo est vnum suppositum, cui competit per se subsistere; & licet esse Deitatis non differat ab essentiâ, esse tamen humanitatis erat differens ab essentiâ, sicut in alijs hominibus; & secundum hoc esse humane naturæ dicitur Christus incœpisse esse; non autem secundum esse subsistentiæ, & personale, quia persona Verbi fuit ab æterno.

DISTINCTIONIS XII.

PRIMAE PARTIS

QVAESTIO SECUNDA D PRINCIPALIS.



IRCA quæ-
stionem secun-
dam quærimus,
tria.

Primum, V-
trum Dei Filius
possit dici fa-
ctus.

Secundum.
Vtrum possit concedi, quòd Dei Filius sit factus secundum carnem.

PARS I.

Tertium. Vtrum secundum talem facti-
onem possit dici minor Patre.

A R T I C. I.

Vtrum Christus Dei Filius possit dici factus. Conclusio est negatiua.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 1. lect. 1. dub. 3.
D Thom. 3. p. q. 16. art. 6. Caiet.



Primum sic procedi-
tur. Videtur, quòd
Christus Dei Filius
possit dici factus, quia
ad Galat. cap. 6. di-
citur: *Misit Deus Fi-
lium suum factum ex
muliere, factum sub lege*: ergo Filius
Dei potest dici factus.

Galat. c. 6.

Præterea. Secundum Damasc. lib. 1.
cap. 34. *Agere, & pati non attribuitur na-
tura, sed supposito*; fieri autem est quod-
dam pati: ergo attribuitur ipsi supposito
Christi, quòd cum non sit aliud, quàm
suppositum Filij Dei: ergo Filius Dei di-
citur factus.

D. Damasc.
lib. 1. c. 34.

Præterea. Non minus repugnat Dei
Filio sanctificari, quàm fieri: sed de Filio
Dei dicitur Ioan. c. 10. *Quem Pater san-
ctificauit, & misit in mundum.* ergo mul-
tò magis de eo dici potest, quòd sit fa-
ctus.

Io. c. 10.

IN CONTRARIUM est Au-
gustin. super Ioan. tract. 1. dicens: *Chri-
stus Dei Verbum, nec fieri cum omnibus
posset, per quem facta sunt omnia, neque
ante omnia factus est, ut per eum omnia
fierent*: ergo &c.

D. P. Aug.
tract. 1. in
Io. tom. 9.

RESOLVTIO.

*Christus Dei Filius non dicitur factus sim-
pliciter, sed dicitur factus homo.*

RESPONDEO dicendum, quòd
Dei Filius non incœpit esse simpliciter,
sed incœpit esse homo. Ipse enim, secun-
dum quòd Deus fecit tempus, sed secun-
dum quòd homo est factus in tempore.
Et quia Dei Filius est Patri coæternus, &
non incœpit esse simpliciter, incœpit ta-
men esse homo; verba illa, quæ dicunt
inci-

Verba, quæ dicunt incipere esse simpliciter sunt à Dei Filio remouenda.

Verba, quæ dicunt incipere esse aliquo modo non est inconueniens attribuere Dei Filio.

incipere esse simpliciter, sunt à Dei Filio remouenda. Unde falsum est, quòd Dei Filius sit factus, iuxta illud August. super Io. tract. 1. & habetur hoc in Glossa: *Christus Dei Verbum nec fieri cum omnibus posset, per quem facta omnia, neque ante omnia factus est, ut per eum omnia fierent.* Simpliciter ergo Dei Filius non est factus. Ea tamen, quæ non dicunt incipere esse simpliciter, sed incipere esse aliquo modo, non est inconueniens attribuere Dei Filio: & quia esse factum secundum carnem, & esse factum hominem, non est esse factum simpliciter, dicimus Dei Filium esse factum hominem, & esse factum ex semine Dauid secundum carnem, & cætera huiusmodi.

RESP. AD ARGUMENTA.

Aegid. sup. d. 1. p. 2. dub. 2. litter.

Christus dicitur factus homo; non factus simpliciter.

Aegid. sup. d. 2. p. 1. q. 2. ar. 1.

Supposito cõpetit agere, & pati non secundum se, sed secundum naturam.

Aegid. sup. d. 3. p. 4. q. 4. ar. 3.

Christus nõ dicitur factus simpliciter; sed factus sanctus homo.

Ad primum dicendum, quòd Christus secundum Deitatem est genitus, non factus; sed secundum humanitatem potest dici factus, & si non possit dici factus simpliciter, ne intelligatur persona Verbi, vel suppositum Verbi esse factum: potest tamen dici factus homo, quia factum est, quòd Dei Filius sit homo.

Ad secundum dicendum, quòd natura assumpta in Christo erat ratio agendi, & patiendi actiones, & passiones secundum naturam illam, sed ipsum diuinum suppositum erat agens, & patiens huiusmodi actiones, & passiones, non secundum se quatenus Christus est Dei Filius absolute, & simpliciter; sed ratione humanitatis assumptæ.

Ad tertium dicendum, quòd Christus secundum hoc factus est sanctus, quia factus est sanctus homo: cum enim non esset homo, factus est homo, & sanctus homo, prout illa vnio fecit Deum hominem. Cum ergo primò non esset homo Deus, postquam factum est, ut homo sit Deus, & Deus semper sit sanctus, factum est, ut homo sit Deus sanctus. Erit enim factio sanctitatis in Christo dupliciter, vno modo secundum naturam creatam, quia cum prius Deus non esset homo, factus est homo. Alio modo secundum naturam increatam, quia cum prius homo non esset Deus, factum est, quòd homo sit Deus, & sanctus Deus.


Aegid. super iij. Sent.

Factio autem secundum naturam increatam absolute Dei Filio conuenire non potest, quia secundum naturam increatam non est factus, nec creatus, sed genitus; sed secundum naturam humanam, qua homo factus est, potest dici factus.

ARTIC. II.

Utrum possit concedi, quòd Dei Filius sit factus secundum carnem, & ex semine Dauid. Conclusio est affirmatiua.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 1. lect. 1. dub. 3. 5. 6. 7. 8. Bened. Iust. in Epistolas D. Pauli ad Rom. super cap. 8. Hieron. Card. Seripandus, Pererius, & Cornelius ibidem.



SECUNDO queritur, utrum possit concedi, quòd Filius Dei sit factus secundum carnem, videtur autem, quòd non, quia quod non currit, non bene currit: ergo quod non est factum, non videtur secundum carnem factum.

Præterea. Si Filius Dei esset secundum carnem factus, cum caro sit creatura Dei Filius diceretur creatura; sed hoc est falsum: ergo &c.

Præterea. Cum dicatur Christus conceptus de Spiritu Sancto, & non natus ex virili semine: ergo non potest dici factus ex semine Dauid secundum carnem.

Præterea. Cum facta sit repromissio Abrahamæ, sicut & Dauid; ergo cum non dicatur ab Apostolo, quòd Christus sit factus ex semine Abrahamæ, neque debuit dici factus ex semine Dauid.

Præterea. Si Christus Dei Filius esset ex semine Dauid factus, pariter diceretur ab Apostolo, quòd esset ex semine Dauid natus, sed hoc secundum non asseritur: ergo videtur, quòd neque debeat dici primum.

IN CONTRARIUM est, quod dicit Apost. ad Rom. cap. 2. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem:* secundum carnem enim Christus factus est ei, idest Deo Patri, quia factus est ad honorem eius, & ad nomen eius glorifican-

candum. Item factus fuit ex semine Dauid, quia Beata Virgo Maria fuit ex stirpe Dauid, de qua, opere Spiritus Sancti caro Dominica est formata,

RESOLVTIO.

Christus Dei Filius dicitur factus secundum carnem, non per factionem, vel mutationem, quæ sit in natura diuina, sed quæ est in humana substantia, & dicitur factus potius ex semine Dauid, quàm Abrahæ, vel alterius iusti, ad commendandam gratiam Saluatoris, dum dicitur factus ex semine Dauid peccatoris.

RESPONDEO dicendum, quòd Magister in Glossa soluit hanc quaestionem, dicens, quòd cum factum dicimus de carne, illa factio non semper refertur ad Creatorem, sed aliquando referri potest ad creaturam; potest autem dici Deus factus, non per factionem, quæ sit in ipso, sed quæ est in creatura. Quotiescunque ergo aliqua propositio dicit Deum factum, si ex sensu propositionis habetur, quòd illa factio sit in Creatore, est propositio illa neganda; sed si habetur, quòd illa factio sit in creatura, potest illa propositio admitti, iuxta illud Psal. 89, *Domine refugium factus es nobis*. Deus enim potest fieri nobis refugium, non per factionem, vel per mutationem, quæ sit in ipso, sed per eam, quæ est in nobis. Sic & Dei Filius dicitur factus homo, non per factionem, vel mutationem, quæ sit in diuina natura, sed quæ est in humana substantia: mutatio enim per illam factionem importata, non est accipienda secundum naturam diuinam, sed secundum carnem assumptam.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd Christus Dei Filius non dicitur factus per factionem, quæ sit in ipso, qui est Creator, sed per factionem, quæ est in creatura; neque dicitur factus simpliciter, sed dicitur factus homo.

Ad secundum dicendum, quòd illud, quòd simpliciter loquendo, est creatura,

est simpliciter factum: Dei autem Filius non est simpliciter creatura, vt patet per August. super Ioan. tract. 1. *Quia non est simpliciter factus, cum per ipsum facta sint omnia*, Vnde non debet concedi simpliciter, quòd Christus sit creatura, posset tamen fortè concedi secundum quosdam cum additione, Christus est creatura in eo quòd homo.

Ad tertium dicendum, quòd Christus non fuit conceptus ex virili semine, tamen quia caro Virginis descendit ex semine Dauid, & facta est ex virili semine, dicitur Christus factus esse ex semine Dauid, non immediatè vt factus sit Christus ex virili semine, sed mediatè, quia virtute Spiritus Sancti formatus est ex carne Virginis, quæ ex virili semine concepta erat.

Ad quartum dicendum, quòd licet repromissio fuerit facta Abrahæ, sicuti & Dauid; Apostolus tamen volens commendare gratiam, maluit Christum dicere factum ex semine Dauid, qui criminofus fuerat, quàm ex semine Abrahæ, qui iustus fuit.

Ad quintum dicendum, quòd aliud est fieri, & aliud est nasci; vnde & alio in loco Apostolus inquit: *Christum non natum, sed factum ex muliere*: aliud ergo significauit in hoc dicto. Nam quia non humano semine coagulata est caro Domini in vtero Virginis, sed virtute Spiritus Sancti effecta, ideo dicit Apostolus *factum*, non natum, quia aliud est ex admixto semine, & coagulato sanguine generari, & aliud est non per commixtionem, sed per virtutem Spiritus Sancti fieri, Possunt enim homines generare filios, sed non facere. Apostolus ergo, vt ostenderet non isto modo esse generatum ex virili semine, magis dicit factum ex muliere, quàm

natum, quamuis
vtrumque concedi possit.

D. P. Aug. tract. 1. in Io. tom. 9.

Christus nõ dicitur creatura simpliciter sed in eo quod homo

Christus dicitur factus ex semine virili, non immediatè, sed mediatè; ideo dicitur ex semine Dauid, ex quo proccellit B. Virgo, quæ ex virili semine concepta fuit.

Ne gatur argumenti consequentia.

Nasci est ex virili semine coagulati: sed fieri est sine talis feminis permixtione generari: ideo Christus dicitur factus, non natus ex muliere, quæuis vtrumque concedi possit.



ARTIC. III.

Utrum Christus Dei Filius secundum talem factionem possit dici minor Patre, vel etiam seipso. Conclusio est affirmatiua.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 1. lect. 1. Dub. 1.



TERTIO quaeritur. Utrum Christus Dei Filius per talem factionem possit dici minor Patre, vel etiam seipso. Et videtur, quod non. Nam dare Spiritum Sanctum dicit cum Patre aequalitatem: sed Christus dedit Spiritum Sanctum. Apostolis post assumptam humanitatem, vt habetur Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* ergo ex humanitatis assumptione Christus Dei Filius non est factus Patri inaequalis, nec minor Patre.

Prætera. Homo Christus per talem factionem acquisiuit proprietates Dei: dicitur enim, ipsum creasse stellas, & similia fecisse, & è cõuerso, Deus acquisiuit proprietates naturæ humanæ, dicitur namque, Deus est passus: sed Christus in quantum Creator, non est minor Patre: ergo ex tali factione non est minoratus à Patre.

Præterea. Damasc. lib. 3. cap. 12. ait carnem Christi esse deificatam, quod autem deificatur, non minoratur, sed transit ad dignitatem Dei: Si ergo Christus homo per dictam factionem ascendit ad dignitatem Dei, iam non est minoratus, sed exaltatus: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia Apóst. ad Philip. 2. de Christo ait: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & in Psal. 8. Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Si ergo per carnis assumptionem Dei Filius est minoratus ab Angelis, multò magis est minoratus à Deo.

RESOLVTIO.

Cum eadem persona Verbi sit Deus & homo, & homo sit minor Deo, eadem per-

A *sona dicitur maior, & minor seipsa; maior vt est Deus, minor vt est homo; & si eadem persona facta est minor seipsa, sequitur, vt etiam sit facta minor Patre.*

RESPONDEO dicendum, quod Magister soluit hanc quaestionem per August. 1. de Trinit. quod Christus factus est minor seipso, quia sic accepit formam serui, vt non amitteret formam Dei.

Ad huius autem solutionis eidentiam sciendum, quod non sic factus fuit Deus homo, sicut dicimus, quod aqua facta est aer: nam cum aqua sit aer, non remanet aqua, quia si remaneret aqua, tunc corpus illud simul esset aqua, & aer, & per consequens esset simul calidum, & frigidum, densum, & rarum, & illud corpus, vt esset aqua, esset densius seipso, quàm vt esset aer. Sic & in proposito, quod Deus sic factus est homo, vt remaneret Deus, & simul fuit Deus, & homo, simul fuit in vnum Diues, & pauper; diues ratione diuinitatis, pauper ratione humanitatis: simul fuit magnus, & paruus; magnus ratione Deitatis, & paruus ratione humanitatis. Secundum hoc ergo, vt erat homo, erat minor seipso, prout erat Deus.

Sed si dicatur hoc esse impossibile, quod aqua manens aqua fiat aer, & quaeratur vt adducatur exemplum in rebus possibilibus, & non in impossibilibus. Dicitur potest, sicut idem est vniuersale, & particulare, quia eadem natura, quæ consideratur sine conditionibus materiæ, est vniuersalis, quæ considerata cum conditionibus materiæ est particularis. Propter quod sequitur, quod eadem natura aliter, & aliter considerata sit prius, & posterius seipso: prius vt est vniuersalis: posterius vt est particularis, sic & in proposito, quia eadem persona est Deus, & homo, sequitur, quod eadem persona sit maior, & minor seipsa, maior, vt est Deus, minor, vt est homo: sed si Filius exinaniuit semetipsum, id est minorem fecit seipsum seipso, formam serui accipiens, sequitur, quod si vt homo est minor seipso, vt sit etiam minor Patre, quod declarare volebamus.

Glos. L. 1. ad Román. c. 1. D. P. Aug. 1. de Trinit. tom. 3.

Christus simul fuit in vnum diues & pauper.

Obiectio.

Solutio.

Vniuersale & particulare quomodo sunt ius.

Ex Aegid. 1. sent. d. 14. p. 3. q. 1.

Io. c. 20.

Ex Aegid. vbi sup. d. 5. p. 1. q. 1. a. 2.

Philip. c. 2.

Psal. 8.

RESP. AD ARGUMENTA.

Christus de
dit spiritum
Sanctum, ut
Deus, non
ut homo.

Persona
Christi, ut
Deus creavit
stellas, ut
homo passa
est.

Christi caro
deificata
per assumptionem,
non per conuersionem.

Ad primum dicendum, quod August. 15. de Trin. cap. 26. respondet, dicens, Christum dedisse Spiritum Sanctum in eo, quod Deus, non in eo, quod homo, licet dederit eum Apostolis, postquam est Deus homo.

Ad secundum dicendum, quod illa communicatio idiomatum, ita ut quæ sunt Dei attribuuntur illi homini, & è conuersò, non est propter unitatem naturæ, sed propter unitatem personæ, quia una, & eadem persona est Deus, & homo, quæ ut Deus creavit stellas, ut homo autem passa est.

Ad tertium dicendum, quod caro Christi non dicitur deificata, quia sit in carnem conuersa, sed quia est assumpta à persona Filij, qui est verus Deus.

DISTINCTIONIS XII.

Pars Secunda Principalis.

De culpa defectu.



SOLET autem queri, &c. Super hac secunda parte principali, quæremus duo ad culpæ defectum, spectantia, vnum de culpa in generali, alterum de culpa in speciali, videlicet de mendacio, an Christus potuerit mentiri. Et quia vacare generationi videtur in Christo dicere defectum, ideo tertio quæremus, Vtrum Christus potuerit generare.



A

DISTINCTIONIS XII.

SECUNDÆ PARTIS

QVAESTIO PRIMA

PRINCIPALIS.



B

IRCA primum quærimus duo.

Primum. Vtrum Dei Filius venerit in similitudinem carnis peccati.

Secundum. Vtrum Verbum assumpserit carnem peccatricem, & maculatam.

ARTICVLVS I.

Vtrum Dei Filius venerit in similitudinem carnis peccati. Conclusio est affirmatiua.

C

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 8. lect. 24. dub. 2. & Authores supra citati.



D

AD primū sic proceditur, & videtur, quod Dei Filius venerit in similitudine carnis peccati. Nam nos passibilitatem, & mortalitatem de necessitate contrahimus: ipse verò Christus voluntariè assumpsit: ergo non contraxit passibilitatem, & mortalitatem, sicut nos contrahimus, & per consequens non fuit similis nobis in carne peccati.

Præterea. Christus *Siccis pedibus super aquas ambulauit*, ut habetur Matth. c. 8. *Et ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, ut patet Matth. 4. sed per Philosophum 5. Met. *Abelitus*, & *nutrimentum sunt necessaria uiuentibus*. Cum ergo Christi corpus non habuerit grauitatem, neque indigerit alimento, sicut nos indigemus, eius caro non videtur similis carni nostræ quantum ad passibilitatem.

Matth. c. 8. & c. 4.

Ex Aegid. sup. d. 5. p. 3. q. 1. a. 1.

Præ-

Præterea . Christus dicitur genitus supra naturam, quia de Spiritu Sancto conceptus est, non ex virili femine, sicut cæteri homines: sed quod non generatur naturaliter, non potest contrahere defectus naturæ: ergo &c.

Rom. c. i.

IN CONTRARIUM est Apost. ad Rom. I. dicens: *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati*: quod Glossa exponens ait: *Filius Dei missus est non in carnem peccatricem, sed in similem, propter passibilitatem, & mortalitatem*. Ergo Christus quantum ad passibilitatem, & mortalitatem fuit similis nobis.

RESOLVTIO.

Passibilitas, & mortalitas Christi fuit similis passibilitati, & mortalitati nostræ quantum ad rem habitam, non quantum ad modum habendi; quia nos necessitate, ipse verò voluntate contraxit.

RESPONDEO dicendum, quod in omnibus est considerandus modus, & res: & aliquando est similitudo solum quantum ad rem habitam, aliquando verò quantum ad rem, & modum. Inter passibilitatem, & mortalitatem Christi, & nostram fuit similitudo quantum ad rem habitam, & non quantum ad modum habendi; fuit enim caro Christi passibilis, & mortalis, tamen huiusmodi passibilitatem, & mortalitatem, ut rangebatur, non secundum eundem modum habuit Christus; ut nos habemus, quia ipse hoc voluntarie assumpsit, nos de necessitate contrahimus. Igitur inter nos, & alios homines, quoad passibilitatem, & mortalitatem est similitudo quantum ad rem habitam, & quantum ad modum habendi, quia omnes sumus passibiles, & mortales, & omnes has maculas de necessitate contrahimus. Inter Christum verò, & nos fuit similitudo, non quantum ad modum habendi, sed quantum ad rem habitam. Dicamus ergo quod *per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, ut dicitur ad Rom. 5. si per peccatum introducta est mors; omnis ergo caro mortalis videtur esse & peccatrix. Christus ergo licet non assumpserit carnem peccatricem, quia *Intentus est inter mortuos liber*, tamen eo

Rom. c. 5.

A ipso quod assumpsit carnem mortalem; assumpsit carnem similem peccati.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum respondeo dicendum, carnem Christi dici similem nostræ carni peccatrici, posse intelligi duobus modis, vel quantum ad rem habitam, vel quantum ad modum habendi. isto secundo modo caro Christi non fuit similis carni nostræ peccatrici, quia non de necessitate contraxit, sed voluntarie: illo primo modo quo dictum est,

Caro Christi similis nostræ quantum ad rem habitam, non quantum ad modum habendi.

B Ad secundum dicendum, quod Christus assumpsit corpus, sicut & alij homines; & si super aquas siccis pedibus ambulauit, hoc non fuit ex natura sui corporis grauis, sed ex virtute Deitatis: sicut quando ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, priusquam esuriret, & postea esuriit, non fuit ex virtutibus actiuis & passiuis, quas habebat in corpore adhuc passibili, & mortali; sed ex potentia Deitatis.

Duplex virtus in Christo naturalis, & diuina: secundo modo Christus fecit illa miracula, non primo modo.

Ad tertium dicendum, quod Christus dicitur genitus secundum naturam, & supra naturam; secundum naturam illis modis, quibus dictum est supra d. 5. p. 3. q. 1. ar. 1. Stetit enim nouem mensibus in utero Matris, sicut alij homines; supra naturam, quia non ex virili femine, sed de Spiritu Sancto conceptus est. Ideo Damasc. lib. 3. c. 7. ait de Christo: *Natus est propter nos, prout nos redemit: secundum nos, quia natus est ex muliere, & in tempore scut nos*.

Christus dicitur natus secundum naturam, & supra naturam.

Damasc. lib. 3 cap. 7.

ARTIC. II.

D *Vtrum Verbum assumpserit carnem peccatricem, & maculatam. Conclusio est negatiua.*

Aegid. super epist. D. Pauli ad Rom. cap. 8. lect. 24. dub. 3.



SECUNDO quæritur. Vtrum Verbum assumpserit carnem peccatricem, & maculatam. Nam quantum tuncunque B. Virgo Christum non libidine, sed gratia conceperit, ut vult August. & habetur

betur in Glossa super Epist. ad Rom. c. 8. A non tamen propter hoc videtur sufficienter argui, carnem Christi non fuisse maculatam, & infectam corruptione peccati: quia si tota massa carnis nostræ in Adam corrupta fuit, qualitercunque per parentes proximos concipiamur, ex quo concipimur de massa corrupta, oportet nos corruptos esse: ergo &c.

Ex Aegid. vbi sup. d. 3. p. 4. q. 4. a. 1.

Præterea. Caro Christi non processit ab Abraham nisi per semen, ex quo conceptus est Isaac: sed semen illud per carnalem concupiscentiam coitus pollutum fuit originali peccato; ergo caro Christi B tali peccato fuit polluta.

Præterea. Magister in littera supra dist. 3. dicit carnem Christi priusquam assumeretur, peccato fuisse obnoxiam, ergo caro Christi contraxit peccatum secundum carnem.

IN CONTRARIUM est, quia diuina sapientia nihil inquinatum inuenit, vt dicitur Sap. 8. *sed Christus est Dei virtus, & Dei sapientia*, vt habetur 1. Cor. c. 1. ergo caro Christi non fuit inquinata, neque peccato infecta.

Sap. c. 8. 1. Cor. 1.

R E S O L V T I O.

Christus peccatum non habuit, quia B. Virgo duplici sanctificatione purgata fuit, quantum ad personam, & quantum ad naturam, ideo quod ex ea natum est, peccato infectum esse non potuit.

De quolibet modo habendi, tripliciter distinguere possumus.

RESPONDEO dicendum, quod de quolibet modo habendi, possumus distinguere tripliciter, quia quicquid habetur, vel habetur virtualiter tantum, vel formaliter tantum, vel vtroque modo: vt Sol habet calorem virtualiter tantum, quia potest calefacere, ipse tamen in se formaliter non est calidus. si quid autem esset ita remissè calidum, quod non posset alia calefacere: vel si possibile esset vt aliquid haberet aliquam qualitatem, secundum quam non posset sibi simile generare, illud esset ita formaliter tale, vt causaliter, & virtualiter tale dici non posset. Ignis verò, & ea quæ habent caliditatem perfectam, cum vnumquodque perfectum sit, quando potest sibi simile generare, sunt calida tam formaliter, quia in se ha-

Generare sibi simile dicit perfectum.

bet calorem, quàm etiam virtualiter, quia possunt calefacere. Secundum hoc ergo dicamus, quod Adam, & ab Adam procedentes sunt infecti, & formaliter, & causaliter: formaliter quidem, quia in se habent infectionem: causaliter verò, quia alios infectos generant. Inde est, quod si in Ecclesia essent duo Baptismi, & vnus tolleretur infectionem formalem, ita ut purgaret hominem in se: alius tolleretur infectionem causalem, ita ut purgaret eum, secundum quod est causa filiorum, vt non faceret filios infectos; qui generarentur ex sic baptizatis, non essent vltius baptizandi. Verùm quia non est nisi vnus Baptismus in Ecclesia, & ille purgat hominem, ne sit infectus formaliter, non autem purgat ipsum ab infectione causali, ne faciat filios infectos; ideo filij baptizatorum sunt vltius baptizandi.

Adam, & ab eo descendentes sunt infecti formaliter, & causaliter.

Sed licet non sit nisi vnus Baptismus in Ecclesia; Beata tamen Virgo bis sanctificata fuit, semel in vtero, & semel extra vterum. Cum ergo fuit in vtero sanctificata, fuit purgata persona, & fuit mundata ne esset infecta formaliter: sed in sanctificatione extra vterum, cum fuit ab Angelo nunciata, & concepit Dei Filium, non solum in ea fomes fuit ligatus, sed etiam extinctus: non solum fuit purgata eius persona, sed etiam natura; non solum fuit mundata ne esset infecta formaliter, sed etiam mundata fuit ab omni infectione causali. Adeo enim mundata fuit, vt quicquid ex ea nasceretur, infectum esse non posset.

Quisquis ex B. Virgine nasceretur, infectum esse non poterat.

Christus ergo licet non caruerit omni passibilitate, tamen quia natus fuit ex Virgine sic sanctificata, caruit omni infectione peccati, vt nec originale, nec actuale peccatum haberet. Quantumcunque ergo Adam fuerit infectus, & qui nascuntur ex eo infecti sunt, Christus propter superuenientem Spiritum Sanctum, Virginem mundantem, & sanctificantem, nullam infectionem peccati suscepit.

Christus nec originale, nec actuale peccatum habuit.

R E S P. A D A R G V M E N T A.

Ad primum dicendum, quod licet Adam fuerit infectus, & omnes, qui ex eo nascuntur, infecti dicantur; tamen Christus nullam infectionem peccati contraxit,

Negatur actus consequentia, quia B. Virgo fuit mundata formaliter, & causaliter.

xir, quia per superuenientem Spiritum Sanctum B. Virgo fuit mundata, & purgata formaliter, & causaliter, itaut infectionem causare non posset.

Christi caro non fuit infecta in Christo, sed in antiquis Patribus.

Ad secundum dicendum, quòd caro Christi potest considerari, vt actu existens caro Christi, & sic nunquam fuit infecta, tamen dicta caro, antequam esset actu caro Christi, potuit esse infecta in antiquis Patribus, vt in superioribus distinctionibus est declaratum.

Sup. dist. 3.

Christi caro dñi fuit caro Christi nūquam fuit infecta.

Ad tertium dicendum est, quòd Magister loquitur de carne Christi priusquam assumeretur, hoc autem solùm potest intelligi de præfata carne, dum esset in antiquis Patribus, quia quando caro Christi incœpit esse caro Christi, fuit sine infectione: neque prius fuit caro, & postea caro Christi; nam in eodem instanti fuit formata caro, organizata, animata, & assumpta à diuino Verbo.

DISTINCTIONIS XII.

SECUNDÆ PARTIS

QVAESTIO SECUNDA PRINCIPALIS.



SECUNDO quæritur specialiter de peccato actuali mendacij.

Circa quod quærimus duo.

Primum.

Vtrum Christi potuerit mentiri.

Secundum. Vtrum Christus vt Deus semper fuerit verax adimplendo promissa.



ARTIC. I.

Vtrum Christus potuerit mentiri. Conclusio est negativa.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. cap. 3. lect. 10. dub. 3.



Primum sic proceditur. Videtur, quòd Christus potuerit mentiri, quia in Psal. 115. habetur: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*: quod exponens Glossa ait: *Omnis homo est mendax, quia non habet verè esse natura, in qua est conditus*; sed Christus fuit verus homo: ergo &c.

Præterea. Obliquatio à vero, & recto esse nature, est quoddam mendacium: sed Christus assumpsit nostram carnem post obliquationem per peccatum Adæ: ergo, &c.

Præterea. De Iudeis loquens Paulus ad Rom. c. 3. dicit: *Non est iustus quisquam, non est intelligens, neque est requirens Deum*; & subdit illud Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*: sed Christus erat ex Iudeis: ergo &c.

Ex lect. super Epist. ad Rom. dub. 4.

IN CONTRARIUM est, quia de Christo dicitur 1. Pet. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Et ipsemet de seipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Io. cap. 14. impossibile est autem veritatem mentiri: ergo.

1. Pet. c.

Io. c. 14.

RESOLVTIO.

Christus mentiri non potuit, tum quia ipse non fuit purus homo: tum quia à rectitudine non fuit obliquatus, sed habuit originalem iustitiam, per quam inferiores vires rationi subdebantur.

RESPONDEO dicendum, quòd Deus fecit hominem rectum, vt Eccles. 4. Fuit enim creatus homo in quadam rectitudine: primordio namque creationis sue accepit rectitudinem quandam, quæ vocabatur

Eccles. c. 4.

Quid facie-
bac origina-
lis iustitia
in homine .

Mentiendi
facilitas vn
de oriatur.

Quomodo
omnis ho-
mo dicatur
mendax .

Gen. c.8.

cabatur originalis iustitia, per quam originalem iustitiam omnes vires inferiores erant subditæ rationi, vt nihil in eis insurgeret, nisi vt ratio diceret. Homine autem peccante, & ab hac rectitudine obliquo, ex hac obliquo facili-
mentitur, vel est ad mendacium pronus. Ex hac obliquo ergo omnis homo est mendax, quia obliquo est ab illo vere esse naturæ, in quo accepit originale iustitiam. Cum enim obliquo à vero esse, & à recto esse, sit quoddam mendacium, omnis homo dicitur esse mendax: & dicitur omnis homo mendax, quia ex illa obliquo, & ex originalis iustitiæ amissione, proni sunt sensus hominis ad malum, iuxta illud Gen. 8. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua.* Et quia sic proni sunt sensus hominum ad malum, omnis homo (nisi sit per gratiam confirmatus) est mendax; vel quia actualiter mentitur; vel quia ex suis sensibus, vel ex sua sensualitate, nascitur pronus ad mentiendum. Ex hoc ergo apparet, Christum non esse in hanc sententiam, cum dicitur: *Omnis homo mendax*: tum quia ipse non fuit purus homo: tum quia ipse non fuit obliquo à rectitudine; sed habuit originale iustitiam, per quam inferiores vires erant subditæ rationi.

RESP. AD ARGUMENTA.

Christus nõ
erat purus
homo, & ha-
buit iustitiã
originale, ideo
menti non potuit.

Negatur ar-
gumentum cõ-
sequentiã,
quia assump-
sit carnẽ
post infectio-
nem, sed nõ
cũ infectio-
ne .

Ad primum dicendum, quod licet Christus fuerit homo, non tamen comprehenditur sub illa sententia vniuersali, omnis homo est mendax: quia non fuit purus homo, neque fuit obliquo à rectitudine iustitiæ originalis, quam semper habuit, & vires inferiores subdebantur rationi, propterea mentiri non potuit.

Ad secundum dicendum, vt dictum est ad primum, quod Christus nunquam fuit à rectitudine iustitiæ originalis obliquo, neque assumpsit carnem infectam, & obliquo, licet assumpsit, eam post infectionem, & obliquo.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. *ly (vsque)* potest terminari inclusiuè, vel exclusiuè, scilicet terminatur inclusiuè, vt omnes includantur

A in hac sententia, & non sit qui faciat bonum, non sit vsque ad vnum, id est nullus, tunc exponendum est non de Iudæis simpliciter, sed de Iudæis carnaliter viuentibus: constat enim nullum talem benefacere. Si verò *ly (vsque)* teneatur exclusiuè, vt sit sensus, *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum* exclusiuè, id est vsque ad Christum, qui excludendus est ab hac sententia, tunc non habet calumniam, quod dicitur: nã solus Christus bonum facit in se, & in suis membris. Sicut ergo cum dicimus: solus Sortes est hoc; ergo manus, vel pes fortis non est hoc: non valet, quia dictio exclusiua non excludit aliqua membra ab aliquo. Sic non valet Christus benefacit, ergo membra eius non benè faciunt. Quicumque ergo bonum facit, hoc facit in quantum membrum Christi mediatoris.

Nullus Iudæus bene facit.

Christus ab illa sententia cõmuni est excludendus, & authoritas exclusiue intelligi debet.

A R T I C. II.

Vtrum Christus vt Deus semper fuerit verax, adimplendo promissa.
C *Conclusio est affirmatiua.*

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. cap. 3.
lect. 10. dub. 1. & 5.

SECUNDO, quia Christus est Deus, & homo, quæritur hic vt vtrum Christus, vt Deus fuerit semper verax implendo promissa. Et videtur, quod non; quia Leuit. 26. dixit Dominus filiis Israel, egredientibus de Aegypto: *Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui excitet vos, auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros.* Constat autem, hoc promissum non fuisse eis obseruatum, quia post illam egressionem multa mala perpeffi sunt, & multas captiuitates sustinuerunt: ergo, &c.

D

Præterea. Videtur, quod Deus non solum in bonis, sed etiam in malis non seruet quicquid dicit. Nam, vt habetur 4. Regum. Cum agrotauit Ezechias, venit ad eum Isaias filius Amos, dixitq. ei:

4. Reg. 30.

Hæc

Hæc dicit Dominus, dispone domui tue, quia morieris, & non viues: & tamen non ita factum est, & non fuit mortuus, sed fuerunt ei additi quindecim anni, vt ibidem dicitur.

Ioel. c. 2.

Præterea. Ioel. 2. dicitur; *Benignus, & misericors est, & præstabilis super malitiam*: sed malitiosis in Scriptura à Deo promittitur pœna: ergo non videretur obseruare promissa.

Rom. c. 3.

IN CONTRARIUM est Apostolus ad Rom. cap. 3. dicens: *Est autem Deus verax.*

Præterea. Homo, ideo dicitur mendax, quia fallit, & fallitur, sed Deus nec fallit, nec fallitur: ergo &c.

RESOLVTIO.

Christus vt Deus non potest mentiri in promissis, quia est sapientissimus, & immutabilis: ideo promissa absolutè omninò implet: sed promissa sub conditione, non est necesse, vt impleat semper.

Non obseruare promissa ex duplici causa contingit,

RESPONDEO dicendum, quòd duplici de causa contingere potest, quòd aliquis non obseruet promissa: primò ex defectu, quem habet in scientia: nam quia alicui non ita notæ sunt conditiones futuræ, sicut præsentis, ex hoc defectu, quem habet in scientia, contingit multoties, eum promittere aliqua in præsentis, quæ obseruare renuit in futuro. Secundò potest hoc contingere ex defectu in natura, nam quia habemus naturam mutabilem, & habemus naturam pronam ad deceptiones, & fallacias, & ad alia mala, ideo multoties promittimus, quæ non obseruamus, vel quia mutamus propositum, vel quia non promissimus vt impleremus, sed vt alium deciperemus. Sed si in nobis non esset aliquis defectus in sapientia, vt nobis ita essent nota futura, sicut præsentia: & si non haberemus defectum in natura, atque natura nostra non esset prona ad malum, & non esset mutabilis, quicquid promitteremus, impleremus. Has autem duas conditiones tangit Magister super Epist. ad Rom. cap. 3. volens probare Deum esse

Gloss. Lyr. super c. 3. Epist. ad Rom.

Aegid. super iij. Sent.

A veracem: nam primò ostendit, quòd apud eum non est defectus in sapientia, cum ait, quòd apud ipsum nihil est futurum, sed omnia sunt sibi præsentia. Secundò ait, quòd non est defectus in eo in natura, & hoc eum subiungit, quòd ipse immutabilis perseuerat.

Deo nihil est futurum

Propter argumenta tamen sciendum, Deum promittere aliquid dupliciter, vel simpliciter, & absolutè, vel sub conditione, & comminatoriè: quòd promittit simpliciter, & absolutè, omninò adimplet, sed quòd promittit sub conditione, & comminatoriè, non oportet quòd adimpleat.

Deus promittit aliquid dupliciter, vel simpliciter, vel conditionaliter.

B & comminatoriè, non oportet quòd adimpleat.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quòd illud Leuitici 26. fuit promissum sub conditione. Vnde ibi dicitur: *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, dabo pacem in finibus vestris.*

Promissio nõ fuit absolutè, sed sub conditione.

Ad secundum dicendum, quòd illud dictum fuit Ezechia comminatoriè. Et quia Ezechias fleuit fletu magno, exaudiuit Deus orationem suam, & pepercit sibi. Fuit ergo de eo sicut fuit de Niniue, vt habetur Ionæ 3. vbi dicitur: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: comminatoriè enim hoc dictum fuit, vt homines illi à suis prauis vijs desisterent: ideo ibidem dicitur: *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam loquutus fuerat eis, & non fecit.*

Ionæ c. 3.

Promissio fuit comminatoria, nõ simpliciter.

Ad tertium dicendum, quòd Deum esse propitium iniquitati, & præstabilem super malitiam potest intelligi dupliciter: vel quia ipse sit iniquitati fautor, & sic negatur: vel quòd sit pronus ad misericordiam iniquis, & sic conceditur in.

Cominatoria promissa non implet Deus, quòdo peccator conuertitur, sed est præstabilis super peccatoris malitia, & eius miseretur.

Ioele: quia illorum, quibus comminatur pœnas, si à malitia conuertantur, facillimè miseretur.



DISTINCTIONIS XII.

Et Partis Secundæ Principalis.

QVAESTIO TERTIA

Quæ habet vnicum Articulum.



generare.

VIA vacare posse generationi, videtur quidam defectus in Christo, ideo tertiò quæritur. Vtrum Christus potuerit

ARTICVLVS I.
ET VNICVS.

*Utrum Christus potuerit generare.
Conclusio est affirmatiua.*

Aegid. quodlib. 2, q. 3.



D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non potuerit generare: quia generans dat genitortale esse, quale ipsum esse habet; sed Christus habet esse diuinum: ergo non potuisset dare esse creatum.

Præterea. Natura humana in Christo existit per esse diuinum: ergo si genuisset, communicasset alteri esse diuinum, & consequenter genuisset Deum, quod est impossibile.

Præterea. Non minus dedecet, Christum posse mentiri, quàm posse generare: sed Christus non potuit mentiri, iuxta illud Io. 8. *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Christus autem erat ipsa veritas, quæ non poterat mentiri, & per consequens neque poterat generare.

IN CONTRARIVM est, quia agere est suppositorum. suppositum ergo habens in se aliquam naturam, potest exercere opera illius naturæ: Christus ergo, habens

A in se naturam humanam, potuit generare, & alia facere, quæ fecisset alius homo, vel aliud suppositum humanum, habens in se humanam naturam.

RESOLVTIO.

Christus potuit, sed non decuit ipsum vacare generationi; quia de statu innocentia sumpsit immunitatem peccati; de statu natura corrupta, carnem passibilem: de statu natura reparata plenitudinem gratia: de statu gloria visionem apertam: quæ omnia nimiam indecentiam haberent cum vsu generationis, & consequenter impossibilitatem, quia quod est valde indecens, in Christo potest dici impossibile.

RESPONDEO dicendum, quòd ista quæstio, quæ fit de generare, posset fieri de alijs actibus, ex.g. Vtrum Christus potuerit mentiri: sic enim dicitur Io. 8. *Si dixerero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Si ergo quæreretur, Vtrum Christus loquens de Patre, potuisset dicere ista

Io. c. 8.

C verba, non scio eum, plana esset responsio, diceretur enim, quòd aliud est quærerere, Vtrum Christus habuerit potentiã ad formandũ quæcunque verba, & aliud, Vtrum potentia illa potuerit vti ad formandũ verba mendacij: habuit enim Christus linguam, guttur, & alia instrumenta naturalia, per quæ poterat formare quæcunque verba: indecens tamen erat, quòd illa potentia vteretur, ad formandũ verba mendacij: & quia nimium indecens in tanta sanctitate, debet reputari impossibile, ideo possumus concedere, quòd impossibile erat eum vti lingua sua ad formandũ verba mendacij. Sic in proposito, habuit enim completa membra, per quæ quis potest exercere generationis actum, tamen quia indecens erat, eum vti membris illis ad talem actum, quia quod est indecens in tali homine, debet pro impossibili reputari, ideo possumus concedere, eum generare non potuisse, id est non decuisse.

An Christu. potuerit dicere mendacium.

Quod erat valde indecens in Christo, poterat dici impossibile.

Possumus autem assignare quatuor rationes, quare eum non decuisset talis actus, iuxta quatuor, quæ Christus in se assumpsit de quatuor statibus humanæ natu-

Quatuor sta-
tus homi-
nis secundum
Magistrum
dist. 16. 3.
lib. sent.

naturæ. Recitat enim Magister 16. dist. 3. lib. quod Christus de omni statu hominis aliquid accepit: status autem hominis secundum ipsum sunt quatuor: Vnus ante peccatum, qui potest dici status innocentiae. Alius post peccatum, qui est status naturæ corruptæ. Tertius in gratia, qui est status naturæ reparatæ. Quartus in visione aperta, & in gloria, qui erit status naturæ glorificatæ. De primo statu Christus accepit immunitatem peccati, & originalem iustitiam: de secundo statu accepit carnem passibilem, & mortalem: de tertio accepit plenitudinem gratiæ: de quarto accepit visionem apertam, quia fuit simul viator, & comprehensor. Secundum has quatuor vias venabimur propositum, quod indecens fuisset Christum vti membris suis ad generationis actum.

Prima via sic patet: nam si Christus habuit immunitatem peccati, & originalem iustitiam, omnes vires inferiores in eo erant subditæ rationi, vt nihil in eo ageretur, nisi quod ratio consulebat, ratio autem semper deprecabatur ad optima: Non enim solum dicitur ratio, fugiendum esse omne malum, sed etiam dicitur potius ad hærendum esse bono, secundum consilium, quàm bono secundum indulgentiam, & bono simpliciter, quàm bono huic: quicquid autem fuisset in statu innocentiae, & qualiter fuisset generatio dimittamus. In statu tamen, in quo nunc sumus secundum Apost. ad Corinth. 7. status Virginitatis est status, secundum consilium, iuxta Apost. sententiam ibidem: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do.* Status autem carnalis copulæ est status indulgentiæ, iuxta eundem ibidem: *Propter nostram incontinentiam, hoc autem dico secundum indulgentiam.* Rursus status Virginitatis est quid bonum simpliciter, iuxta Apost. ibidem: *Bonum est homini mulierem non tangere,* Copula autem carnalis est bonum huic, vel illi, qui non potest contineri. Etenim cum prius dixisset Apost. *Bonum est homini mulierem non tangere;* statim subdit: *Propter fornicationem autem unusquisque homo suam uxorem habeat:* simpliciter ergo bonum est homini mulierem non tangere; tamen propter fornicationem cauendam illi, qui non potest

Aegid. super iij. Sent.

A continere, bonum est, quod habeat suam uxorem. Indecens ergo fuisset in Christo in quo omnia secundum rationem agebantur, vt ipse per Apost. suum dedisset de Virginitate consilium alijs, quod ipse non obseruasset: non ergo cœpisset facere, & docere, & quia minima indecentia erat in eo impossibilitas: ergo &c.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex eo, quod de secundo statu accepit carnem passibilem, & mortalem; nam sic assumpsit ipse naturam passibilem, quod ipsa natura per se non patiebatur; sicut enim natura non habet per se esse, ita nec habet per se agere, nec per se pati; sed potest esse ratio actionis, & passionis: non ergo debemus concedere, quod humana natura pateretur in Christo, sed quod ipse Dei Filius patiebatur secundum humanam naturam: vnde Damasc. 3. lib. c. 34. de crucifixione, & passione ait: *Non naturæ fuit, sed hypostasis.* vnde concludit ibidem: *ipse Christus passus est,* ipse ergo Dei Filius existens in duabus naturis, non passus est in duabus naturis, sed in altera tantum: omnes ergo actiones, & passiones, quæ agebantur circa personam Christi attribuentur ipsi supposito, & ipsi Dei Filio, ex hoc autem argui potest, quod non decebat eum dare operam carnali generationi.

Tertia via ad hoc idem potest sumi ex eo, quod de tertio statu accepit plenitudinem gratiarum: nam cum status virginitatis sit dignior, quàm status carnalis copulæ, ipsa plenitudo gratiarum, quæ fuit in Christo, nos docet, quod non decebat eum dare operam carnali copulæ.

Quarta via sumitur ex eo, quod accepit de quarto statu, vt quia accepit visionem apertam: in illo enim statu per sententiam Euangelij, *nec nubent, nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælis,* non ergo decebat quod Christus, qui iam erat comprehensor, intenderet carnali copulæ.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum ergo argumentum, cum arguitur, quod si Christus generasset, communicasset genito esse diuinum, & ita generasset Deum. Dicitur debet, quod non sequitur: si enim secundum humanam natura-

Sic 2 turam

Natura passibilis in Christo non patiebatur, erat tamen ratio passibilis.

D. Damasc. lib. 3. c. 34.

Omnes actiones & passionem in Christo attribuentur erant suppositæ.

Marc. c. 12

Ratio dicitur potius esse ad hærendum bono secundum consilium, quam bono secundum indulgentiam.

Status Virginitatis est status consilij; status carnalis copulæ est status indulgentiæ. 1. Cor. 7.

Negatur ar-
gumentū cō-
sequentiā,
quia si ge-
nuisset secu-
dum huma-
nam natu-
rā dedisset
genito form-
am huma-
nā naturę.

turam genuisset, cum illa humana natura A
habeat esse per esse Verbi, & sustentetur
in supposito diuino, non propter hoc ge-
nuisset humanam naturam, habentem esse
per esse diuinū, nec genuisset suppositum
diuinum: nam cum generans transmittit
naturam, & transmittendo naturā dat for-
mam consequentem transmutationem il-
lam, & dando formam, dat esse quod fluit
à forma, & quod causatur ab ipsa: natura-
le ergo est, quod generans, cum dat for-
mā, det esse secundum illam formam: ideo
si Christus genuisset secundum naturā hu-
manam, genuisset suppositū in natura hu-
mana: naturale ergo est, quod sicut ge-
nuisset suppositum in natura creata, ita
dedisset ei esse creatum. Potuisset autem
miraculosè aliqua persona diuina assu-
mere naturam illam, ad quam terminata
fuiſſet illa generatio: naturaliter tamen
Christus genuisset purum hominem, &
non Deum hominem.

Ad secundum patet responsio per iam
dicta.

Negatur ma-
ior argumē-
ti, quia di-
cere menda-
ciū erat im-
possibile
Christo, ge-
nerare autē
erat in-
conueniēte.

Ad tertium dicitur, quod licet Christus
simpliciter, & absolute loquendo potuerit
dicere quęcunque verba, quia habebat
omnia instrumenta ad ipsa formanda; at-
tamen non poterat dicere mendacium. Et
quia non erat decens, eum uti lingua ad
formandum verba mendacij: quod verò
erat indecens in eo, reputabatur impossi-
bile, ideo dicere possumus impossibile
fuisse eum dicere mendacium.

Vel dicendum, non esse parem ratio-
nem de generatione, & mendacio: quia
generatio potest fieri absque peccato;
mendacium autem nequaquam.

Ad illud, quod obijciebatur in contra-
rium, quod actiones sunt suppositorum, &
quod suppositū Verbi, habens in se naturā
humanā, poterat agere omnia, quę erant
secundum illam naturam: patet solutio per
iam dicta; quia sicut Christus habuit lin-
guā, per quā poterat omnia verba forma-
re, tamen quia indecens erat, quod per il-
lā linguam formarentur verba mendacij,
ideo dicimus eum nō potuisse mentiri: ita
habuit membra, per quę exercetur gene-
ratio: tamen quia non decebat eum expo-
nere membra, illa tali operi; ideo eo mo-
do, quo non poterat indecentiam facere,
dicimus ipsum generare non potuisse.

Licet Chri-
stus potue-
rit genera-
re, tamen
quia nō de-
cebat, po-
test dici,
quod non
poterat.

DISTINCTIO XIII.

*De perfectionibus in natura humana
assumptis.*



DRAETERE A
sciendum est, &c.

Postquam Ma-
gister in supe-
riori distinctio-
ne egit de natu-
rę humanę
defectibus, &
ostēdit Verbum

assumpsisse naturam humanam sine defe-
ctu culpę; in presenti distinctione demon-
strat assumpsisse eā, perfectionibus gratiæ,
& scientiæ refertam. Et diuiditur in duas
partes principales, in quarum prima ostē-
dit, Christū habuisse gratiæ plenitudinem:
in secunda quomodo in sapiētia Christus
dicebatur proficere. Prima pars diuiditur
in tres partes, in quarū prima ponit Chri-
stum secundum hominem ab instanti suę
conceptionis fuisse gratia repletum: in se-
cunda probat: in tertia contra ea, quę di-
cta sunt argumenta adducit. Prima ibi:
Præterea sciendum est, &c. Secunda ibi: *Ita
vero habitat, &c.* vbi id de mēte Augusti-
ni declarat, & probat. Tertia ibi: *Huic autē
sententię, &c.* Ista tertia pars adhuc in
duas partes secatur, quia in prima arguit,
& soluit argumenta facta: in secunda ad-
ducit particulariter authoritatem D. Am-
brosij contra prædicta, & eam soluit. pri-
ma ibi: *Huic sententię, &c.* vt dictum est.
Secūda ibi: *Alibi tamen seipsum reperitur.*

Postea sequitur illa pars secunda, quę
diuiditur in duas partes, in prima quærit
quomodo intelligatur dictum illud de
Christo: *Sensus proficiebat humanus.* in se-
cunda resoluit, prima ibi: *Sed ex qua cau-
sa, &c.* Secunda ibi: *Sed ita sanè potest acci-
pi, &c.* & sic terminatur sententię presen-
tis distinctionis, & lectionis.

Circa hanc distinctionem quæritur de
tribus principaliter: primò de plenitudi-
ne gratię Christi: secundò de differentiā,
vel conuenientia gratiæ, & glorię: ter-
tiò de profectu Christi in gratia, & sa-
pientia.

DISTINCTIONIS XIII.

PRIMAE PARTIS

QVAESTIO PRIMA
PRINCIPALIS.

De gratia Christi plenitudine.



CIRCA primum quærun-
tur duo.

Primum. Vtrum gratiæ plenitudo fuerit propria Christo.

Secundum.

Vtrum gratia Christi fuerit infinita.

ARTICVLVS I.

Vtrum gratiæ plenitudo fuerit propria Christo. Conclusio est affirmatiua.

Aegid. in expositione salutationis Angelicæ super illa verba, Gratia plena. D. Tho. 3. sent. dist. 13. q. 1. ar. 2. & 3. p. sum. q. 7. ar. 1. ibidem. Caiet. Med. Suar. Greg. de Valent. t. 4. disp. 1. q. 7. p. 2. Argent. 3. sent. d. 13. q. 1. ar. 2. Capr. ibid. q. 1. Duran. q. 1. 2. 3. & 4.



AD primum sic proceditur. Videtur, quod gratiæ plenitudo non fuerit propria Christo. Quia Angelus saluans B. Virginem dixit eam gratia plenam: sed eodem modo loquitur Io. de

Io. c. 1.

Christo cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ: ergo, &c.*

Præterea. Exodi 31. dicit Dominus ad Moysem de Beel filio Huria: *Impleui eum Spiritu Dei.* & Ecclef. 15. *Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ,* dicitur de timente Deum: sed esse plenum Spiritu Sancto est esse plenum gratia: ergo &c.

Exodi c. 31
Ecclef. 15.

Præterea. Ille Angelus, qui dixit Mariæ, *gratia plena,* dixerat de Ioanne ad Zacchariam patrem suum Luca. 1. *Spiritu*
Aegid. super iij. Sent.

Luc. c. 1.

A Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. & de Apostolis omnibus dicitur Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* & de Stephano legitur Act. 6. *Saule frater, Dominus misit me ad te, ut videas, & implearis Spiritu Sancto: ergo &c.*

Act. c. a. & c. 6.

IN CONTRARIVM est illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus: ergo &c.*

RESOLVTIO.

Multiplex est gratia plenitudo: prima dicitur sufficientia, quæ est in viris iustis. Secunda redundantia, quæ competit viris Ecclesiasticis in officio constitutis. Tertia excellentia, quæ data est B. Virgini. Quarta affluentia, quæ tribuitur Christo. Quinta excessus, & hæc soli Deo dicitur propria.

RESPONDEO dicendum, quod aliqui loquentes de plenitudine gratiæ, quam habuit B. Virgo, vt breuiter, & faciliter se expediant de proposita difficultate dicunt, quod multi Sancti acceperunt à Deo plenitudinem gratiæ, quemadmodum accepit B. Virgo, inter quos, illos dicunt hanc plenitudinem gratiæ accepisse, qui in sacra Scriptura sunt nominati, & in hoc non est laudata, & commendata B. Maria super illos, quantum ad plenitudinem gratiæ in se. Quod si consideretur modus, & tempus, in quo ei collata est ista gratiæ plenitudo, meritò super omnes Sanctos, & etiam Angelos est laudata tanquam de priuilegio singulari.

Opinio aliorum.

Primò, quantum ad modum, sola hæc benedicta Virgo habuit gratiæ plenitudinem, quia ad statum Matris Dei assumenda erat. Secundò quantum ad tempus, quia gratiæ recepit plenitudinem à primo instanti suæ conceptionis. Cæterorum autem Sanctorum, & si aliqui Spiritu, & gratia pleni sunt dicti, quod habuerunt cum illa commune, nullus tamen habuit gratiam, & diuinitatem in se corporaliter habitantem, neque à primo instanti suæ conceptionis fuit sanctificatus.

Sed isti sic dicentes, licet aliquam veritatem dicant, non tamen vadunt ad intentionem verborum Angeli, neque eas laudes tribuunt Virgini sacratissime, quas

Opinio propria.

B. Virgo nō
solū quoad
modum, &
tempus in
receptione
plenitudi-
nis gratiæ
alios San-
ctos ante-
celluit, sed
etiam quoad
gratiā a-
bundantio-
rem.

Plenitudo
gratiæ dici-
tur multis
modis.

Plenitudo
sufficientiæ,

Plenitudo
redundantiæ,

Plenitudo
excellentiæ.

Plenitudo
affluentis.

Plenitudo
excessus.

Prima ple-
nitudo con-
uenit iustis

in novo illo nomine tribuit ei Deus, & Angelus intellexit. Voluit enim Angelus non solum eam commendare, quod quantum ad modum, & tempus receptionis gratiæ ceteros Sanctos superavit, sed etiam quod ipsam plenitudinem gratiæ abundantiorē receperit sine mensura, uniuersalem, & omnino stabilem quantum ad animam, & quantum ad corpus. Ut ergo de plenitudine Christi, B. Mariæ, & aliorum Sanctorum bene loquamur, aliter dicendum est ad questionem. Plenitudo enim gratiæ dicitur multis modis. Primo dicitur plenitudo sufficientiæ, quæ tanta esse intelligitur, quanta sufficiat ad salutem. Secundo dicitur plenitudo redundantis in alios, quod intelligitur de his, qui in aliquo officio Ecclesiæ sunt constituti, & habent curam animarum, qui tunc dicuntur pleni gratia, quando tantam habent gratiam, per quam saluari possunt, & per redundantiam gratiæ possunt suum officium exercere, & sibi commissos ad salutem inducere. Tertio dicitur plenitudo excellentiæ, quod intelligitur quando aliquis non solum habet gratiam, per quam possit saluari, & gratiam redundantis, ut alios suæ gratiæ participes faciat, sed tantam habet, ut non sit capax maioris gratiæ recipiendæ in tali statu. Quarto est plenitudo causalitatis, & affluentis, & est illa, per quam non solum quispiam excelsit alios omnes, sed etiam est in omnibus alijs causans ipsam gratiam, & illam largiens. Quinto, & ultimo dicitur plenitudo excessus, & eminentiæ, quæ sua immensitate, neque declarari potest, neque sub ratione sua infinita à nobis intelligi.

His prelibatis, & in hunc modum dispositis, singula adaptando ad ea, quæ in obiectionibus dicebantur, simul soluitur questio, & respondetur ad obiecta.

Prima plenitudo est communis omnibus iustis, & Sanctis; quia Sancti esse non possunt, nisi tanta gratia replerentur, quæ illis sufficeret ad salutem; & de tali plenitudine intelligitur illud Eccl. 15. *Impleuit eum Dominus spiritus sapientia, & intellectus*: si tamen exponatur de omnimente Deum, ut littera videtur innuere. Similiter & de ista plenitudine intelligi-

tur quod legitur de Tabita Act. 9. *Quod erat plena bonis operibus, & elemosynis.*

Secunda plenitudo est eorum, qui in officio aliquo Ecclesiastico sunt constituti: & de ista plenitudine intelliguntur quæ dicta sunt de Ioanne Baptista. Luc. 1. de Apostolis. Act. 2. de Stephano. Act. 6. & de Paulo. Act. 9.

De tertia plenitudine intelligitur dictum Angeli, quæ solius fuit Virginis Mariæ, cuius plenitudo excelebat omnium purarum creaturarum plenitudinem, ut iam dictum est.

Quarta plenitudo est Christi hominis, quem cum dederit Deus caput super omnem Ecclesiam, ut dicit Paul. Ephes. 1. tanquam caput decebat habere plenitudinem gratiæ, & illam causare, & influere in omnia membra: & de hac plenitudine intelligitur quod habetur Io. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* & post aliqua additur: *& de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.*

Quinta est solius Dei, cuius magnitudinis non est finis, ut dicitur in Psal. 144. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia,* ut dicit Apost. Rom. 11.

Ex quibus patet, quod licet Scriptura in pluribus Sanctis commendat plenitudinem gratiæ, tamen plenitudo gratiæ excellentis, iuxta totam capacitatem creaturæ in hoc mundo existentis, soli Virgini benedictæ conuenit: & plenitudo causalitatis, & affluentis soli Christo homini.

ARTIC. II.

Utrum gratia Christi fuerit infinita. Conclusio est negatiua.

Aegid. 1. sent. dist. 44. princ. 2. q. 3. & dist. 17. p. 2. pr. 1. q. 4. D. Tho. 3. p. q. 7. art. 11. Caiet. D. Bon. in 3. sent. d. 13. ar. 1. q. 2. Ricchar. 3. sent. d. 13. art. 3. q. 2. Suar. ad 3. p. tom. 1. disp. 22. sect. 1. Cabr. ad 3. p. q. 7. ar. 11. disp. vnica Rag. ad 3. p. disput. 76. Valquez ad 3. p. disp. 46. per totam.



SECUNDO queritur. Utrum gratia Christi fuerit infinita. Et videtur, quod sic: nam gratia Christi nihil est melius, quia bono infinito nihil est melius: sed gratia Christi est bonum infinitum,

Secunda vris Ecclesiasticis in officio constitutis.

Tertia B. Virgini.

Quarta Christo.

Ephes. c. 1.

Io. c. 1.

Quinta Deo.

Rom. 11.

tum, cum ei fuerit datus spiritus non ad mensuram: ergo gratia Christi est infinita.

Præterea. Vnio humanæ naturæ in Christo fuit tanta, vt Deum faceret hominem, & hominem Deum: sed cum Deus sit id, quo maius excogitari non potest: hæc autem gratia fuit collata humanitati Christi: ergo fuit infinita.

Præterea. Illud dicitur infinitum, quo melius, & excellentius Deus facere non potest: sed gratia Christi Deus meliorem, vel excellentiorem facere non poterat: ergo, &c.

IN CONTRARIUM est: quia cum quælibet creatura sit certis limitibus circumscripta, & quodlibet creatum sit finitum: gratia Christi est creata: ergo &c.

RESOLVTIO.

Gratia Christi simpliciter non est infinita, quia est creata: comparatiuè autem est infinita, non solum, quia coniungit habentem bono infinito: sed quia in ea reseruat omnis ratio gratie, propter quam habet quædam modum infinitatis.

RESPONDEO dicendum, quòd omnia entia quodam modo clauduntur inter duos terminos, quorum vnus est supremus, vltra quem non licet ascendere: alius est infimus, infra quem non potest esse progressus: isti duo termini non sunt eiusdem generis: nam terminus supremus est actus purus, & est quid increatum, videlicet Deus ipse: Terminus infimus est potentia pura, & est materia prima, igitur in descendendo inuenimus statum in rebus creatis: nam materia prima ordine naturæ nihil vilius esse potest: est enim propè nihil secundum August. & Comm. in 1. phyl. quia est medium inter ens, & nihil, a Deo autem infimè rationem entitatis participat, quod si minus participaret, non constitueret gradum entis, sed esset purè nihil.

In ascensu autem non inuenimus terminum in genere creatorum: quia nihil creatum potest esse actus purus: nam si esset actus purus, esset ipsum esse, & non participaret esse, quod si non participaret, non haberet esse ab alio, propter

quod non esset quid creatum. Est ergo aliqua creatura in se considerata ordine naturæ ita infima, qua non potest esse inferior, cum in descendendo sit dare statum in creaturis: nulla tamen ita est suprema, qua non possit esse superior, quia in ascensu non est status in rebus creatis, sed in Creatore: est enim hic ordo, vt materia prima sit potentia pura, Deus verò sit actus purus: omnia autem intermedia sunt actus admixtus potentia, & potentia admixta actui. Simpliciter ergo loquendo solus Deus est ita bonus, quo melius excogitari non potest, omnis autem creatura, vt creatura est, simpliciter loquendo, ab omnimoda perfectione deficit, & ea aliquid esse melius potest.

Aduertendum autem propter argumenta, quod sicut communiter dicitur, licet quælibet creatura simpliciter sit bonum finitum habet tamen quandam rationem infiniti, secundum quod habet quandam ordinem ad infinitum bonum: huiusmodi autem ordo non est vniformis, quia aliquando sumitur solum secundum respectum, & sic B. Virgo habet quandam rationem infinitatis in quantum fuit Mater Dei. Et vniuersum est quoddam infinitum in quantum ordinatur ad infinitum bonum. Et gratia habet quandam rationem infinitatis, in quantum coniungit nos bono infinito: & multa talia exempla adducere possumus ad ostendendum, non esse contra rationem creature, aliquo modo habere quandam rationem infinitatis. Aliquando autem sumitur per comparationem ad esse, secundum quem modum humana natura est vnita infinito bono, quia fuit assumpta ad esse personale Verbi, & vt non faceret per se personam, sed substantificaretur in hypostasi verbi. Quando autem huiusmodi infinitas sumitur per respectum, tunc absolute de talibus non possumus proferre sententiam: vnde non est simpliciter dicendum, Beata Virgo nihil esse melius: vel quod vniuerso, & gratia nihil melius esse possit, sed per quandam respectum, & vt talia infinita sunt, hæc de ipsis pronuciari possunt: habet enim quandam rationem infinitatis B. Virgo, vt est Mater Dei: vniuersum vt ordinatum ad Deum: gratia vt

In ascensu non est status in creaturis, sed in Creatore: in descensu verò est status in materia prima.

Quælibet creatura est finita: sed habet quandam rationem infiniti.

Infinitas respectu gratia non sufficit ad proferendum de aliquo infinitate.

Quomodo B. Virgo: vniuersum: & gratia habent rationem infinitatis.

Com. 60.

Nihil creatum potest esse actus purus.

coniungit nos ipsi. Et quia sicut sunt infinita bona, sic eis melius nihil esse potest, ideo dicere possumus, quod Beata Virgo non potuit esse melioris Mater; Vniuersum non potest ordinari ad melius: & gratia non potest nos coniungere meliori: sed Christus homo est infinitum bonum secundum quandam comparationem simpliciter, in quantum est idem esse personale, & eadem persona Filij Dei, & illius hominis, vnde quodammodo simpliciter concedere possumus Christo homine nihil posse esse melius: humanitate tamen Christi aliquo modo, vt in quantum est quaedam creatura, aliquid melius esse potest.

RESP. AD ARGV M.

Christi gratia non fuit infinita simpliciter, sed secundum quid.

Vnio, vel gratia vnio nis, vt est quid creatum, est finita: licet habeat quendam modum infinitatis, vt explicatum est.

Gratia Christi non fuit infinita simpliciter: sed in genere gratiae, vt dictum est ad primū.

Ad primum dicendum, quod gratia Christi non fuit infinita simpliciter, quia determinata erat ad aliquod genus entis: aliquo tamen modo infinita erat, quia quodammodo dici poterat infinita gratia, prout aliquantulum in ea referuabatur omnis ratio gratiae: vnde datus fuit ei spiritus, non ad mensuram aliorum hominum, non quia gratia illa simpliciter non esset quid finitum, sed quia habebat quendam modum infinitatis.

Ad secundum dicendum, quod licet humana natura in Christo substantificetur in persona Verbi, tamen huiusmodi natura à diuina natura est distans in infinitum; & sic vnio humanæ naturæ ad diuinam personam Verbi in quantum est quaedam creatura, non est simpliciter infinita.

Ad tertium dicendum, quod gratia Christi non fuit infinita simpliciter, fuit tamen infinita in genere gratiae, prout in ea referuabatur omnis ratio gratiae.



A
DISTINCTIONIS XIII.
PRIMAE PARTIS
QVAESTIO SECVNDA
PRINCIPALIS.

Quæ habet Articulum vnicum.

Utrum gratia, & gloria sint idem per essentiam. Conclusio est affirmatiua.

Aegid. quodlib. 2. q. 30.



D secundam quæstionem sic proceditur. Videtur, quod gratia, & gloria non sint idem per essentiam, quia secundum Apostolum: *Cum venerit* 1. Cor. 13.

C *quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*; igitur quia gratia dicit quid ex parte, & quid imperfectum, gloria autem quid perfectum: adueniente ergo gloria euacuabitur gratia.

Præterea. Sicut se habet fides ad visionem claram, ita gratia ad gloriam: sed fides non est idem per essentiam, quod visio clara, quia illa euacuabitur, & ista remanebit in patria: ergo &c.

D Præterea. Id quod potest perfici, est variabile: sed gratia est inuariabilis, quia variatio in perfectione esset à Deo, qui est inuariabilis, & idem manens idem, semper facit idem: si ergo gratia non variatur, igitur non potest fieri gloria, & per consequens gratia, & gloria non sunt idem.

IN CONTRARIVM est, quia gratia, & gloria habent idem principium, idem subiectum, & est idem actus vtriusque, qui est diuina visio: ergo &c.

RESOLVTIO.

Habitus gratiae, & gloria sunt idem essentialiter: differunt autem vt imperfectum,

fectum, & perfectum, quia gratia imperfecte facit, nos habere Deum hereditatem nostram, idest in spe: gloria autem perfecte, idest in re.

RESPONDEO dicendum, quod habitus gloriæ nihil est aliud, quam illud, quod eleuat animam ad visionem Dei. Imaginabimur ergo, quod hereditas nostra est ipse Deus; ipse enim est hereditas nostra, quæ præclara est nobis. Videamus ergo secundum quid sumus heredes Dei, & secundum quid debetur nobis hereditas diuina: hæc autem debetur per gratiam, per quam sumus filij adoptionis, & ex eo quod sumus filij adoptionis debetur nobis diuina visio, & diuina hereditas, cum habitus gloriæ sit illud, quod eleuat nos ad habendam Dei hereditatem, siue ad visionem, quæ est vita æterna, & hereditas nostra, idem est gratia quod gloria per essentiam, differunt autem secundum perfectum, & imperfectum. Nam gratia secundum quod distinguitur ab habitu gloriæ, dicit illum eundem habitum, vt est viatoris, gloria autem dicit ipsum vt est comprehensoris, & quia gratia vt est viatoris est imperfecta, vt est comprehensoris est perfecta, ideo gratia, & gloria differunt secundum perfectum, & imperfectum. Imaginabimur enim, quod illud, quod debetur Filio Dei per naturam, quia est filius naturalis, hoc debetur nobis per gratiam, quia sumus filij adoptiui, hoc est, quod docet nos Apost. ad Rom. 8. qui cum prius dixisset, *accepimus spiritum adoptionis filiorum*, quod sumus filij adoptiui per gratiam, postea subdit, *si filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Vnde Glossa, *facti sumus heredes Dei, idest eiusdem gloriæ participes*: gratia ergo, quæ facit nos heredes, & facit nos gloriæ participes est illud idem, quod gloria, quia hoc est habere gloriam, habere ipsam per participationem: illud idem enim, quod Deus habet per essentiam, & per naturam, quia seipsum videt naturaliter, & seipso fruitur, & seipso gloriosus est; illud idem nos habemus per gratiam, & per participationem. si ergo gloria nostra non est aliud quam gloria participata, & gratia facit nos participes gloriæ, idem est in nobis gratia, & gloria: sic enim ima-

A ginabimur, quod gratia existens in nobis imperfecta, cuiusmodi est in statu viæ, causat in nobis fidem formatam, & charitatem viæ, quæ semper habet aliquam imperfectionem annexam: illa eadem gratia, vt est perfecta, sicut erit in statu patriæ, causabit in nobis visionem apertam: ideo essentialiter idem est gratia, & gloria: semper enim per gratiam habemus hereditatem æternam, & ipsa est, quæ nos facit filios, & heredes: sed dum huiusmodi gratia est imperfecta, sicut est in via, facit nos habere hereditatem æternam in spe: quando autem erit perfecta, vt in patria, habebimus per eam hereditatem æternam in re.

Gratia imperfecta in nobis causat fidem formatam, & perfectam causabit visionem apertam.

B Aduertendum tamen, quod cum hereditatem nostram diximus esse visionem apertam, non exclusimus dilectionem perfectam, nec intendebamus per illa verba ponere beatitudinem nostram principaliter in visione, quam in dilectione: sic enim gratia viatoris, quæ est gloria initiata causat in intellectu fidem formatam, & in voluntate charitatem, sicut gloria comprehensoris, quæ est gratia consummata, causabit in intellectu visionem apertam, & in voluntate dilectionem perfectam: idem est ergo gratia, quod gloria, & si differunt, differunt solum secundum initiatum, & consummatum: sicut imperfectum, & perfectum: vtimur tamen magis nomine gratiæ in viatore, & nomine gloriæ in comprehensore: idem est tamen per essentiam hoc, & illud.

Gratia viatoris est gloria initiata.

RESP. AD ARGV M.

D Ad primum argumentum dicitur, quod aliquando imperfectio debetur rei secundum se, sicut fidei secundum se debetur imperfectio, cum sit visio enigmatica, & cum sit rerum non apparentium, & quod sic imperfectum est, euacuabitur per essentiam, quando venerit quod perfectum est; adueniente enim visione aperta euacuabitur habitus fidei: aliquando enim aliquid est imperfectum, non quod ei competat imperfectio secundum se, sed solum ratione status; sicut charitas viatoris est imperfecta, non quod charitati secundum se competat imperfectio, sed hoc est ratione status viæ, in quo non potest

Habitus fidei euacuabitur in patria: ex hoc apparet Acgidium vel in patria non remanere fidem, neque spem villo modo, & decipit illos, qui est aliud sentire sunt opinati.

Habitus gloriæ eleuat nos ad habendam Dei visionem.

Gratia, & gloria est idem habitus differens secundum imperfectum, & perfectum.

Rom. c. 8.

Imperfectū
secundū se
euacuabi-
tur cum-
aduenerit,
quod perfe-
ctum est: nō
autem im-
perfectū ra-
tione sta-
tus: per hoc
patet respō-
sio ad seck-
tūm.

potest habere esse omnino perfectum; & quod sic imperfectum est, non euacuabitur, sed tolletur ab eo id, quod est imperfectionis: vnde dicit Apost. quod charitas nunquam excidit: perficietur enim charitas in patria, sed non euacuabitur: sic quia gratia non dicit de se imperfectionem, non euacuabitur in patria, sed perficietur, & conseruabitur: perfecta autem, & consummata erit idem quod gloria.

Ad secundum negatur maior, quia fides est imperfecta secundum se, gratia autem non est imperfecta secundum se, sed ratione status, vt dictum est.

Deus sine
sui variatio-
ne potest
infundere
perfectiore
gratia quan-
tum ad gra-
dus, prout
vult, quia
est agens li-
berum, non
necessarium.

Ad tertium respondetur, quod Deus, cum hoc, quod immutabiliter se habet, agit ex libertate arbitrij, non ex necessitate naturæ, & ideò secundum beneplacitum voluntatis suæ potest perfectiorem, & imperfectiorem, quantum ad gradus, gratiam infundere, & homines ad ipsam disponere.

DISTINCTIONIS XIII.

Pars Secunda Principalis.

De Christi Domini progressu.



vi delict, quomodo Christus proficiebat in gratia, & sapientia coram Deo, & hominibus, vt dicitur Lu-

cæ 2.



ED ex qua causa illius dicitur, &c. quia in hac parte agitur de profectu Christi in gratia, & sapientia, inquiramus vnum,

A DISTINCTIONIS XIII.

Partis Secundæ Principalis

QVAESTIO VNICA.

Quæ habet vnum Articulum tantum.

Vtrum Christus profecerit gratia, & sapientia. Conclusio est affirmatiua.

B

Aegid. sup. d. 3. p. 4. ar. 3. & 1. senten. d. 17. p. 2. pr. 2. q. 4.
D. Thom. 3. p. q. 7. art. 12. Caiet. Med. Cab. ad
3. p. q. 7. art. 12. q. vnica. Suar. ad 3. p.
10m. 1. disp. 22. sec. 2. Rag. ad 3. p.
disp. 76. Valquez ad 3. p.
disp. 47. per totam.



C

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus in gratia non profecerit: quia vel hoc esset ex parte agentis, & hoc non, quia cuilibet Deus ab aeterno præordinauit, & præfixit terminum gratiæ, & charitatis: vel ex parte suscipientis, quia licet ex receptione gratiæ, & charitatis augeatur capacitas in anima, non tamen in anima Christi, quæ est creatura reperitur, possibilitas ad infinitam charitatē, & gratiam: ideo ita potest repleti eius capacitas, vt nō remaneat ibi possibilitas ad vltiorem gradum gratiæ, vel charitatis: vel ex parte formæ, idest, ipsius gratiæ, & charitatis, quia forma habet determinatam mensuram, ad quam cum fuerit peruentum, si vltius progrediatur, non remanebit forma in eadem specie: sicut apparet in pallore, cuius hypostasis est certus gradus lucis, vltra quem si fiat progressio, deuenitur ad album: ergo ex nulla parte gratia Christi potuit augeri, & per consequens in gratia non potuit proficere.

Præterea. Proficere in gratia est crescere in sanctitate: sed Christus non poterat crescere in sanctitate, quia erat in eo omnis plenitudo sanctitatis, ideo Dan. c. 9. appellatur Sanctus Sanctorum: ergo neque poterat in gratia proficere.

Præ-

Ex Aegid.
1. sent. d. 17
p. 2. pr. 2. q.
4.

Ex Aegid.
sup. d. 3. p. 4
q. 4. ar. 3.

Dan. c. 9

ex Aegid.
sup. d. 4. p.
3. q. 1. ar. 2.

Præterea. In eo, quod est alicui naturale, aliquis non potest proficere, ut quia naturale est homini esse beatitudinis capacem, non dicitur proficere in capacitate beatitudinis; sed tam gratia unione, quam gratia habitualis dicitur Christo naturalis: ergo in gratia proficere non potuit.

Luc. c. 2.

IN CONTRARIUM est illud, quod dicitur Lucæ cap. 2. *Iesus autem proficiebat sapientia, etate, & gratia apud Deum, & homines.*

RESOLVTIO.

Christus proficiebat gratia, non maiorem recipiendo, sed receptam ab instanti suæ conceptionis, quotidie magis hominibus manifestando, & ex manifestatione magis homines ad Deum reducendo.

1. Cor. c. 1.

RESPONDEO dicendum, quod illud, quod asseritur de ætate, in qua Christus proficiebat, non habet dubium: sed in sapientia quomodo poterat Christus proficere, qui erat ipsa Dei sapientia? Et in gratia quomodo poterat proficere Christus, qui erat ipsa Dei virtus, iuxta illud 1. Cor. 1. *Predicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam?* Ad quod dici potest, quod non proficiebat Christus secundum gratiam, ita ut maiorem gratiam acciperet, quam haberet. Sed istud proficere erat secundum manifestationem apud homines, quia gratiam, & sapientiam, quam habebat, inter homines manifestabat, & patefaciebat, quod faciendo reducebat homines in Deum, & faciebat eos proficere apud Deum, ut hoc modo, sicut proficiebat ætate, & crescebat in annis; sic proficiebat gratia, & sapientia apud homines, continuè magis, & magis manifestando scientiam, sapientiam, & gratiam apud eos. Et hoc modo proficiebat apud Deum, quia, hoc faciendo, reducebat homines ad Deum, & faciebat homines apud Deum proficere.

Christus manifestando suam gratiam, & sapientiam reducebat homines in Deum.

Opinio D.
Tho. 2. 2. q.
24. ar. 2.

Aduertendum autem est propter argumenta, quod Scripta communia, dum loquuntur de augmento charitatis, dicunt, quod terminus in augmento alicuius formæ, tripliciter potest præfigi. Primò ex parte ipsius formæ, quæ habet termina-

tam mensuram, ad quam cum fuerit peruentum, si ulterius progrediatur, non remanebit forma in eadem specie. Secundò hoc potest contingere ex parte agentis, qui est virtutis limitata, & ideo cum tantam introduxerit formam in materia, quanta congruit virtuti eius, non fit ultra processus, propter agentis limitationem. Tertio ex parte susceptibilis, ut quia susceptibile non potest ulteriorem perfectionem recipere, quia ad ulteriorem perfectionem se non extendit capacitas, cessat perfectionis augmentum; nullo istorum modorum secundum Scripta communia dicere possumus charitatem habere terminum: quia secundum rationem propriæ speciei charitas non est quid terminatum, cum sit participatio quædam charitatis infinitæ, quæ est Spiritus Sanctus. Nec ex parte agentis hoc potest contingere, quia agens talem perfectionem immediatè est ipse Deus, qui est potentia infinita. Nec ratione capacitatis hoc esse potest, quia semper ex augmento charitatis augetur capacitas; nunquam enim vas aliquod impleteretur liquore, si semper quanto plus de liquore susciperet, vasis augetur capacitas, & ad plus de liquore suscipiendum, semper per liquorem susceptum fieret habilis. Et quia sic se habet in susceptione gratiæ, & charitatis spiritualis natura, in infinitum potest esse charitatis augmentum.

Sed hoc stare non potest: nam si semper per susceptionem charitatis fieret creatura habilior ad suscipiendum, nunquam alicuius creaturæ capacitas secundum totam suam possibilitatem, & aptitudinem esset repleta; & licet actualem capacitatem possemus sustinere in aliquo esse impletam, tamen capacitatem possibilem, & secundum aptitudinem repleti sustinere nullus posset secundum istum modum dicendi: cum semper per susceptionem gratiæ creatura fiat habilior ad susceptionem ulteriorem. Quomodo ergo Christo fuit datus spiritus, non ad mensuram, qui secundum August. 15. de Trinit. cap. 26. *Ab instanti suæ conceptionis adeo fuit plenus gratiæ, quod ulterius in ea augmentari non potuit.*

Aegid. contra præfatam opinionem.

Si per susceptionem gratiæ capacitas creaturæ semper augetur: nunquam capacitas possibilem repleti creaturæ repleteretur. D. P. Aug. 15. de Trinit. cap. 26. tom. 2.

Tenendum est ergo firmiter capacitatem animæ Christi ita fuisse repletam, tam

Veraq; capacitas, scilicet possibilis animæ Christi ita fuit gratia repleta, ut si ulterius processisset in eadem specie non remansisset.

tam actualem, quàm possibilem, & secundum aptitudinem, quod si ulterius fuisset augmentata in gratia, non remansisset in eadem specie: & propter hoc spiritus ei datus dicitur, non ad mensuram, quia per omnem modum fuit eius repleta capacitas. Vnde isti nunc, qui dicunt augmentum charitatis esse possibilem in infinitum, dicunt Christum in gratia augmentari non potuisse, quia gratia sua, quodanmodo infinita erat: ex quo apparet eos non tenere propositum, quia gratia illa simpliciter quid finitum erat, cum esset quid creatum: licet ei competeret aliquis modus infinitatis.

In creatura non est capacitas ad infinitam charitatē.

Dicamus igitur, charitatem non crescere in infinitum ex parte agentis, quia cuilibet Deus ab æterno præordinavit, & præfixit certum terminum charitatis. Nec ex parte suscipientis, quia licet augeatur capacitas ex tali receptione, non tamen est possibilitas in creatura ad infinitam charitatem: propter quod ita potest repleti eius capacitas, quòd non erit ibi possibilitas ad ulteriorem charitatis gradum. Ex parte autem propriæ speciei competit ei aliquo modo finitas, cum sit quid creatum.

Augmentari in infinitum dupliciter contingere potest.

Tamen ut melius declaretur veritas, notandum, quòd augmentari aliquid in infinitum, potest esse dupliciter. Primò, ut omnis terminus positus excedatur, & sic sumitur propriè augmentari in infinitum, quia infinitum est, cuius partem accipientibus, semper est aliquid extra sumere, & sic charitas non potest augeri in infinitum in aliquo, quia posset ita capacitas alicuius repleti, ut non posset ulterius in charitate crescere. Secundò aliquid potest augeri in infinitum non simpliciter, sed quia terminum sibi præfixum nunquam attingit, dato etiam quòd semper augmentetur, sicut potest patere ex 15. propositione 3. Geometriæ, ubi probatur, quòd angulus, qui fit ex diametro circuli, & semicirculo est omnium acutorum amplissimus, & quanto maior est circulus, tantò est magis amplius. Si in infinitum cresceret circulus, in infinitum cresceret angulus, nunquam tamen perueniret ad quantitatem anguli recti, qui non solum est infinitus, sed etiam reperitur angulus maior eo, ut obtusus. sic

etiam crescere in infinitum non est inconueniens, ut præfixo sibi termino aliquo, puta charitate patriæ, quia nunquam ad illum terminum deueniret, quandiu est in via: nec tamen charitas, quam habebit in patria erit infinita, immò reperitur charitas maior ea, ut charitas Christi.

Quomodo charitas dicitur infinita.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd charitas, & gratia non dicitur augeri ex parte agentis determinantis terminum cuilibet ab æterno, neque ex parte suscipientis, quia capacitas cum sit finita, erit explebilis per receptionem gratiæ; & charitatis auctæ secundum capacitatem illam. sed dicitur augeri in infinitum ratione formæ, non simpliciter, sed secundum quid, idest quia terminum sibi præfixum nunquam attingit, ut charitas, & gratia viæ habent terminos; quos nunquam attingent, scilicet charitatem patriæ, & gloriam, & hoc modo charitas, & gratia viatoris poterit dici infinita, quia terminum patriæ nunquam attingent ratione status. sed negatur consequentia argumenti, quia licet Christus non potuerit proficere, per receptionem maioris gratiæ, quia ab instanti suæ conceptionis adeo fuit plenus gratia, ut dicebat Augustin. 15. de Trinit. cap. 26. quòd ulterius in ea augmentari non potuit: tamen potuit proficere per manifestationem illius gratiæ, quam habebat.

Christus profecit in gratia, non maiorē recipiendo, sed receptā manifestando.

Ad secundum dicendum, quòd Christo non conuenit sanctificari augmentatiuè, continuatiuè, contrariè, vel priuatiuè: sed tantum negatiuè, quia de non Sancto negatiuè factus est Sanctus, quod dupliciter veritatem habet; primò prout illa vnio fecit Deum hominem, & non quemcunque hominem, sed sanctum hominem. Secundò, prout illa vnio fecit hominem Deum, & quia Deus semper est sanctus, ille homo factus est Deus sanctus. Duobus modis ergo Christus dicitur sanctificatus per incarnationem, vno modo secundum naturam creatam, quia cum Deus prius non esset homo, factus est homo, & sanctus homo. alio modo sanctificatio fuit secundum naturam increatam, quia cum prius homo non esset Deus, factus

Christus deus est sanctificatus, non augmentatiuè, ut probat argumentum sed negatiuè.

atum est, quòd homo sit Deus, & sanctus Deus. Sed hanc sanctificationem habuit Christus in instanti suæ conceptionis, adeo vt postea non creuerit in ea, recipiendo maiorem sanctitatem, sed ostendendo eam, quam ab instanti suæ conceptionis receperat.

Unionis gratia fuit Christo naturali, non secundum rem, sed secundum effectus: & habitualis non fuit naturalis quasi proueniens ex principijs naturæ humanæ, sed vel quia eam habuit in eo instanti in quo habuit naturam humanam: vel quia eam habuit à natura diuina.

Ad tertium dicendum, quòd gratia unionis non fuit Christo homini naturalis secundum essentiam, vel secundum rem, sed secundum suos effectus, vt supra dictum est distinctione 4. par. 3. quæst. 1. art. 2. similiter gratia habitualis non dicitur Christo naturalis, itaut veniat ex principijs naturæ humanæ ab eo assumptæ, sed dicitur naturalis, quia eam habuit in principio temporis, in quo habuit naturam humanam, & quia est à natura diuina in Christo existente: cum ergo habuerit eam in initio temporis, quando habuit humanitatem, & habuerit non ad mensuram, clarum est, quòd non profecit recipiendo temporibus diuersis maiores gradus gratiæ; sed profecit manifestando hominibus dictam gratiam sibi à Deo collatam.

DISTINCTIO XIV.

De perfectionibus animæ Christi respectu perfectionum Dei.



Hic queri opus est, &c. Determinauit in superiori distinctione Magister de plenitudine perfectionis Christi quantum ad scientiam, & gratiam, modò in hac distinctione 14. comparat perfectiones Christi, secundum quòd est homo ad perfectiones diuinas, & diuiditur præsens distinctio in duas partes principales, in quarum prima comparat perfectionem animæ Christi ad perfectionem diuinam, quantum ad scientiam; in secunda quantum ad potentiam. Secunda pars incipit, ibi: *Si verò queritur quare Deus, &c.* Prima verò Aegid. super iij. Sent.

A pars diuiditur in partes tres, quarum prima mouet quæstionem ibi: *Hic queri opus est, &c.* In secunda determinat eam, secundum alios, ibi: *Quibusdam placet, &c.* In tertia ponit determinationem propriam, ibi: *Quibus respondententes, &c.* Secunda pars diuiditur in tres partes, in quarum prima mouet quæstionem de potentia animæ Christi. In secunda respondet. In tertia dat intelligentiam quorundam verborum Ambrosij, quæ dictis videntur obuiare. Prima ibi: *Si verò queritur, &c.* Secunda ibi: *Responderi potest, &c.* Tertia ibi: *Sed si illa anima, &c.* Et sic finitur sententiæ præsentis lectionis, & distinctionis.

DISTINCTIONIS XIV.

Et Partis Primæ Principalis.

QVAESTIO VNICA.

De scientia Animæ Christi,



IRCA primam partem, principalem huius distinctionis 14. in qua agitur de scientia Animæ Christi quæremus quatuor

D Primum. Vtrum scientia Animæ Christi fuerit maior scientia Angelorum, ita vt æquaretur scientiæ Dei.

Secundum. Vtrum natura rationalis potuerit assumi à diuino Verbo absque eo, quod frueretur ipso Verbo.

Tertium. Vtrum Deo magis vniamur per intelligere, quàm per amare.

Quartum. Vtrum possibile esset animæ Christi videre apertè Deum, & ipsum non diligere.



ARTICVLVS I.

Vtrum scientia Animæ Christi fuerit maior scientia Angelorum, ita vt æquaretur scientiæ visionis ipsius Dei. Conclusio est affirmatiua.

Aegid. 2. sent. dist. 11. q. 2. art. 3. D. Thom. 3. p. q. 11. art. 4. Caiet. Cabr. Med. Vasquez ad 3 p. disp. 57. cap 4.



D primum sic proceditur. Videtur, quod scientia animæ Christi non fuerit maior scientia Angelorum, ita vt æquaretur scientiæ visionis ipsius

Dei; quia dicit Dion. in de cœl. Hierar. pluribus in locis, quod homines ab Angelis illuminantur, & non è conuersò; sed Christus fuit verus homo; ergo &c.

Præterea, Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: ergo Christus fuit minor Ioanne: quia natus fuit de muliere; sed Angeli maiores sunt Ioanne: ergo &c.*

Præterea. Angelus instruxit Christum in passione: *Et apparuit illi Angelus confortans eum.* Luc. 22. ergo &c.

IN CONTRARIVM est illud Ephes. 3. *Vt innotescat Principibus, & Potestatibus in Cœlestibus multiformis sapientia Dei per Ecclesiam: sed Christus est caput Ecclesiæ: ergo &c.*

RESOLVTIO.

Anima Christi æquatur Deo in scientiæ visionis, quantum ad numerum scitorum, non quantum ad claritatem sciendi. In scientiæ autem simplicis intelligentiæ non æquatur Deo, neque quantum ad numerum scitorum, nec quantum ad claritatem: & Angeli non æquantur Deo, neque animæ Christi, nec in scientiæ simplicis notitiæ, neque visionis; ideo possunt multa addiscere.

RESPONDEO dicendum, quod in Deo est duplex scientia, vt communiter

A dicitur, visionis, & simplicis notitiæ: scientiæ visionis dicitur omnium eorum, quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, sed scientiæ simplicis intelligentiæ dicitur notitiæ, quam habet Deus, non solum de factis, & fiendis, sed etiam de possibilibus fieri: sola autem anima Christi, quantum ad numerum scitorum æquatur Deo, secundum scientiam visionis, quia scit omnia facta, & futura; sed non æquatur ei quantum ad numerum scitorum, secundum claritatem visionis; quia quantum ad claritatem visionis nulla creatura potest equari Deo, nec etiam quantum ad numerum scitorum, secundum scientiæ simplicis notitiæ; sed omnes Angeli quantumcunque Beati non æquantur secundum scientiam, neque Deo, neque animæ Christi; Sciunt enim Angeli beati omnia præterita, & præsentia; sed nesciunt omnia futura, & præsertim futura contingentia: Ea ergo, quæ nesciunt possunt addiscere, & de nouo illuminari. Ergo nulli dubium esse debet, quod scientiæ animæ Christi, adhuc existētis viatoris, erat maior scientia omnium Angelorum; quia Angeli sciunt omnia præterita, & præsentia; sed nullus est Angelus, qui sciat omnia futura, sed continuè fiunt in Angelis illuminationes, & reuelationes de futuris, itaque Angeli non æquantur Verbo, neque in numero scitorum quantum ad scientiam visionis, quæ est præteritorum, præsentium, & futurorum; Scientia enim visionis se extendit ad facta, & fienda, non autem ad possibilia fieri, quia illa scientiæ dicitur simplicis notitiæ, vt dictum est. Christus ergo, secundum quod homo, etiâ cum adhuc esset viator, poterat illuminare quemcunque Angelum; nunquam tamen fuit purus viator, sed dum vivebat hac vita mortali, erat simpl. viator, & comprehensor; & omnia in Verbo videbat scientiæ visionis; & sic poterat illuminare Angelos; sed post Resurrectionem non fuit vltèrius viator, nec vixit hac vita mortali, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.

Scientia visionis, & simplicis intelligentiæ.

Angeli non sciunt omnia futura.

Anima Christi si omnia videbat in Verbo scientiæ visionis

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod pari homines ab Angelis illuminantur, Christus autem

autem fuit Deus, & homo, viator, & comprehensor.

Puri homines ab Angelis illuminantur; non autem Christus, qui fuit Deus, & homo. Quia Christus non fuit purus viator; ideo non dicitur minor Ioanne.

Ad secundum dicendum, quod verba sequentia in citata autoritate respondent ad argumentum; sunt autem ista: *tamen qui minor est in Regno Caelorum, maior est illo*: per Regnum Caelorum intelligitur status comprehensorum, qui semper dicitur maior quocumque viatore. Christus ergo cum fuerit simul viator, & comprehensor, non fuit minor Ioanne.

Angelus in passione commotus fortuitus Christum non instruendo, sed obsequendo.

Ad tertium dicendum, quod Angelus, qui apparuit Christo, confortabat eum, sibi famulando, & obsequendo, non autem eum instruendo.

ARTIC. II.

Vtrum natura rationalis potuisset assumi à Divino Verbo, absque eo, quod frueretur ipso Verbo. Conclusio est affirmativa.

Aegid. quodlib. 5, q. 4.



SECUNDO queritur. Vtrum natura rationalis potuisset assumi à divino Verbo, absque eo, quod frueretur ipso Verbo. Et videtur quod non. Quia

Io. cap. 1.

secundum August. super Ioan. *Filius Dei factus est homo, ut filij hominum fierent filij Dei*: Verbum enim factum caro, siue Dei Filius factus homo, *dedit potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius*. Itaque cum simus filij Dei per gratiam, & potissimè per gratiam consummatam, & per gloriam; non esset illud consequens, quod nos simus habituri gloriam, nisi esset istud antecedens, quod natura rationalis assumpta à Christo, siue anima illa esset fruens, & esset in gloria.

Præterea. Essentia eleuata, oportet eleuari potentiam: si ergo essentia creaturæ rationalis est eleuata, vt sit vnita Deo, eleuabitur & potentia, vt fruatur Deo.

IN CONTRARIUM est, quia Aegid. super iij. sent.

A in talibus tota ratio facti est potentia facientis; secundum ergo potentiam facientis, quæ est infinita, potuit assumere naturam rationalem fruentem, & non fruentem, vt sibi placebat.

RESOLVTIO.

Neesse erat, Verbum assumere naturam capacem fruitionis, necessitate congruentiæ; quia Christus debebat esse, nostrum caput, noster Redemptor, & ad spem Regni Caelorum nos inducere: non autem necessitate inuitabilitatis; quia sicut in triduo fuit caro vnita Verbo; & tamen non erat capax fruitionis; ita potuit assumere naturam rationalem, quæ non frueretur Verbo.

B

C

D

RESPONDEO dicendum, quod possumus distinguere duplicem necessitatem vnã inuitabilitatis, & aliam secundum congruentiam finis; si queratur de necessitate secundum congruentiam finis; Vtrum neesse esset, vt natura rationalis assumpta à Verbo frueretur Verbo, dici debet, quod sic: & possumus hoc tripliciter declarare.

Duplex necessitas inuitabilitatis, & secundum congruentiam finis.

Primo ex eo, quod Dei Filius assumens carnem debebat nostrum caput esse. Secundò ex eo, quod debebat nos redimere. Tertiò, quod debebat nos ad spem Regni Caelorum inducere.

Primò namque vt debebat esse caput nostrum, & debebamus de plenitudine eius omnes accipere; necessarium erat hoc modo, vt in eo esset plenitudo gratiæ, & gratia consummata, quæ est ipsa gloria: Vnde ei dicitur fuisse datus spiritus, non ad mensuram; quia quantum potuit anima illa recipere de plenitudine gratiæ, tanta ei fuit gratia infusa; quod non fuisset, nisi fuisset perfectè fruens. Aliter enim, *Qui minor fuisset in Regno Caelorum, maior fuisset illo*. quia semper gratia comprehensoris, & gratia consummata est maior gratia non consummata. Quod autem dicitur: *Paulominus fuisse minoratus ab Angelis*, intelligendum est, quantum ad passibilitatem corporis: quantum ta-

Christus caput nostrum.

Quanta fuerit Christi gratia.

Quomodo Christus minoratus ab Angelis.

men ad fruitionem decebat caput nostrum habere omnem talem plenitudinem,

Secundò, id possumus declarare ex hoc, quòd debebat nos redimere: debebat enim mediator esse Dei, & hominum, & aperire ianuam Coelestem, vt per ipsum possemus vniri Deo, & eo frui.

Ante Christi passionem sancti in limbo non fruebantur Deo.

Etenim ante passionem Christi, & ante solutionem pretij pro humana natura, quantumcunque Sactus ibat ad limbum, & non fruebatur Deo, si ergo medium debebat sapere naturam extremorum, & debet participare de vtraque; ille, qui debebat aperire ianuam coelestem, & de viatoribus facere comprehensores, debebat vtrumque in se habere, & esse viator, & esse comprehensor: propter quod decebat ipsum esse fruente[m]; immò loquendo de necessitate secundum congruentiam finis, necessarium fuit ipsum esse fruente[m]; nam ad hoc venit, vt nos saluos faceret, & vt nobis ianuam coeli aperiret, & faceret comprehensores, & fruente[s].

Tertiò hoc idem declarari potest, quia nos debebat ad spem salutis aeternae inducere; non autem congruè potuissemus per ipsum sperare, posse consequi illam fruitionem aeternam, nisi ipse fuisset perfecte fruens: si enim non fuisset fruens anima illa, quae assumpta erat ad esse personale, habuissemus materiam desperandi, vt non crederemus posse perueniri ad fruendum Deo. Sic ergo dicendum est de necessitate congruentiae finis, loquendo de huiusmodi congruitate, vt loquitur August. 13. de Trinit. cap. 10. *Et si alius modus fuit possibilis, ad sanandum tamen nostram miseriam conuenientiore[m] modum alium non fuisse, credendum est.*

Necessitate congruentiae humanitatis assumpta debebat frui diuino Verbo; non autem necessitate inuitabilitatis.

Nota. Quomodo Verbi potest esse vnitum essentiae, & potest esse secundum esse personale, absque eo, quod sit vnitum potentiae per fruente[m].

Sed si loquamur de necessitate inuitabilitatis, non videmus (quantum occurrit nobis) quin potuisset talem naturam assumere sine fruitione: Nam sicut verbum illud, separata anima, remansit vnitum carni, quae non est capax fruitionis; sic Verbum potuit remanere vnitum essentiae animae, quantum ad esse personale, absque eo, quod potentia vniretur sibi per fruitionem.

Eleuata ergo essentia, eleuatur & po-

tentia quantum ad esse personale, non potuit enim esse, quòd essentia esset assumpta quantum ad esse personale, & potentia non esset isto modo assumpta; nisi fortè fuisset separata essentia à potentia; vel fuisset illa essentia absque potentia; sed posito, quòd illa essentia non fuerit priuata sua potentia; sicut illa natura non habebat per se esse, ita non habebat per se agere; itaque omnes illae operationes erant Filij Dei, vt probat Damascenus libro 3. cap. 14. vbi dicit: *Duas voluntates fuisse in Christo, & duas actiones; vnus tamen erat volens, & agens.* Ita ergo duo non erant compositibilia, quòd esset eleuata natura ad esse personale, & non esset eleuata potentia secundum tale esse; sicut enim ex assumptione naturae, Deus factus est homo; ita ex eius assumptione factum est, quòd actiones secundum humanam naturam sunt actiones Filij Dei. Eleuata est ergo potentia, quia actiones secundum illam potentiam erant actiones Dei. Sed quod non potuisset assumi essentia, nisi fuisset eleuata potentia ad fruitionem Dei, quantum nobis occurrit, non videmus hoc fuisse inuitabile.

In Christo duae voluntates.

Actiones Christi secundum humanam naturam sunt actiones Filij Dei.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum ergo dicendum, quòd argumentum arguit de necessitate secundum quandam congruentiam finis, non de necessitate inuitabili; si enim nos debebamus esse filij Dei, & comprehensores fieri, dignum erat, vt & ipse esset comprehensor.

Argumentum excludit de necessitate congruentiae, non de necessitate inuitabilitatis.

Est tamen animaduertendum, quia quod non est congruum secundum vnum modum ordinis; est congruum secundum alium modum; si enim Dei Filius assumpsisset naturam rationalem, absque eo, quòd illa natura plenè fruere[etur], secundum aliquem modum ordinis hoc fuisset congruum; quamuis illius congruitatis non sciremus fortè rationem reddere. Vnde August. 12. de Ciuit. Dei cap. 1. dicit: *Veram tamen rationem apud nos debere esse, non sine ratione omnipotentem facere; vnde animus humanus infirmus non potest rationem reddere.*

Ad

Potuit assu-
mi potentia
absque eo,
quod esset
eleuata ad
actum frui-
tionis.

Ad secundum patet solutio per iam dicta : nam sicut eleuatur essentia ad esse personale Filij Dei, ita fuisset eleuata potentia ; quia omnes actiones egredientes à tali potentia essent actiones Dei : De hac autem eleuatione concludit argumentum , quòd concedentes nihil inconueniens contra nostrum dictum concluditur .

ARTICVLVS III.

Utrum magis uniamur Deo per intelligere , quàm per amare . Conclusio est negatiua .

Aegid. quodlib. 5. q. 5. D. Thom. 4. sent. d. 49. q. 1. art. 2.
Ricch. q. 7. Scot. q. 4. Arg. 4. sent. d. 49. q. 3.
art. 2. D. Bon. d. 49. art. 1. q. 2.



ERTIO quæritur. Utrum magis uniamur Deo per intelligere , quàm per amare . Et videtur, quòd sic , quia unio per intelligere est unio per aliquid

intrinsecum, cum res intelligantur , prout sunt in anima : & cum verum , & falsum sit in anima : Unio autem per amorem videtur esse per aliquid extraneum : quia res sunt volitæ , vt sunt in seipsis , & bonum , & malum sunt in rebus ; vt declarari habet in 6. Metaph. uniri autem per aliquid intraneum est potius , quàm per aliquid extraneum ; ergo &c.

Præterea . Per illam actionem magis Deo unimur, per quam sumus felices : sed sumus felices per intelligere secundum Philosophum 10. Ethic. c. 8. ergo &c.

Præterea . In unione ad Deum consistit vita æterna : sed vita æterna consistit in visione, vnde August. 1. de Trin. c. 13. dicit : *Visio est vita æterna .* & Ioan. c. 17. *Hæc est vita æterna , vt cognoscant te :* ergo , &c.

IN CONTRARIVM est Hugo super Angel. Hierarch. qui vult, quòd intrat amor, vbi foris stat scientia .

RESOLVTIO.

Maiores est unio , quæ fit per voluntatem , quàm ea , quæ fit per intellectum ; quod
Aegid. super 1ij. Sent

patet ex parte actus , obiecti , & modi agendi ; actus enim intelligendi assimilatur , & actus amandi transformatur : ille est secundum modum nostrum , & hic secundum modum Dei. Ille dicitur prior origine , hic autem perfectione .

RESPONDEO , quòd unio per amorem est potior , & maior , quàm unio per intelligere ; quod tripliciter declarare possumus ; primò ex parte ipsius actus . Secundò ex parte obiecti . Tertio ex parte modi agendi .

Prima via sic patet . Nam si consideremus ipsum actum amoris , & ipsum actum intelligendi , inuenimus hanc differentiam inter hunc actum , & illum , quia actus intelligendi assimilatur , & actus amoris transformatur . Reprehenditur enim Empedocles , vt patet per Philosophum in lib. de Anima ; ex eo quod voluit animam esse compositam ex omnibus , vt cognosceret omnia ; nam secundum ipsum Philosophum sufficit , vt similitudines rerum sint apud animam , ad hoc , vt cognoscantur ab anima ; non oportet autem res ipsas secundum se esse in anima .

Quod si obijciatur de diuina essentia , quæ non per aliquam similitudinem , sed per seipsam est apta nata perfectè cognosci . Dicemus , hoc non esse , quia perfecta cognitio non possit esse nisi per similitudinem ; sed quia diuina essentia est pura forma, nihil habens de potentialitate admixtum ; ideo per aliam expressionem formæ, quam per seipsam essentialiter cognosci non potest ; tamen si res essentialiter cognosci possit per aliquam expressionem formalem aliam à seipsa ; non erit inconueniens , perfectiorem esse huiusmodi cognitionem , quàm sit ipsa cognitio per essentiam . Vnde August. 11. de Ciu. Dei cap. 29. loquens de cognitione Angelorum , dicit : *Angeli ipsam quoque creaturam melius vident in Dei sapientia , quàm in seipsa , & seipsos , ibi , scilicet in Dei sapientia , melius sciunt .*

Arguitur ergo sic . Angeli seipsos in seipsis cognoscunt per essentiam suam ; in Deo autem se cognoscunt per essentiam Dei , quæ est representatio omnium : Potior est ergo cognitio essentiæ Angeli per essentiam Dei , quàm per seipsam : Suffi-

Unio per amorem est potior unione per intellectum.

Prima via.

Actus intelligendi assimilatur ; & actus amandi transformatur .

Arist. 1. de Anim. c. 6. 30.

Obiectio.

Solutio .

Essentia diuina per se ipsam cognoscitur.

D. P. Aug. 11. de Ciu. 6. 29. 10. 5.

Arist. 6. Metaph. c. 1. vlt.

cit ergo ad intelligere, quòd hoc fiat per formalem expressionem rei: intellectio ergo quantum est de se assimilatur; sed amor transformatur; sufficit enim intelligenti, quòd habeat similitudinem intelligibilem, & quòd habeat formalem expressionem eius.

Amas vult se coniungere amato, & fieri idem, quod ipsum

Sed hoc non sufficit amanti; quia amans vult se omnino coniungere amato, & vult se facere id, quod ipsum, & quantum potest se transformatur in ipsum: si ergo intellectus, secundum quòd huiusmodi, vult presentiam intelligibilem, hoc est propter ipsam intellectionem, ut quia forte non potest id intelligere plenè, nisi per presentiam eius; ut enim id intelligibile non habeat aliam formalem expressionem; & quòd per nihil aliud potest essentialiter intelligi, quàm per seipsum: sed amans, secundum quòd huiusmodi, non vult presentiam amati solum propter ipsum amorem, immò propter ipsam rem amatam, cui quantum potest, vult se coniungere; immò secundum quòd huiusmodi, quantum posset, vellet se in ipsam transformare; inde est, quòd unire, & transformare amori appropriantur: ut patet per Dion. cap. 4. de diuin. nomin. ubi recitat verba Hierothei: *Omnis amor est quedam virtus unitiua, & subdit: Amorem, siue diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animale, siue naturalem, unitiuam quandam dicimus esse virtutem: Idem etiam Dionysius ostendit ibid. quòd amor transformatur, quia ponit amantem extra se, & collocat ipsum in re amata, dicens: Est autem extasim faciens diuinus Amor, non dimittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum.* Diuinus ergo amor, id est amor, quo diligimus Deum, est faciens extasim, id est ponens amantes extra seipsum; non permittens eos amare, siue ipsos esse amantes sui ipsorum; sed facit eos esse amatorum, id est rerum amatarum.

Amor non permittit, quòd amans sit sui ipsius, sed cogit amantem esse rei amatae.

Amor ergo non permittit, ut amans sit sui ipsius, sed cogit amantem esse rei amatae; quare si transformare nos in Deum, est quantum in se est, idem facere cum eo, & multò maior, quàm quacunque alia unio nostri ad Deum: consequens est, quòd per amorem multò magis sumus apti nati uniri Deo, quàm per intelligere.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex parte obiecti, & ex hoc patebit solutio argumenti in contrarium: petebat enim argumentum id quod est in contrarium, arguebat enim oppositum, non propositum: verum est enim, quòd in diligendo est motus animæ ad res, & quòd obiectum amoris est res; ut est in seipsa; in intelligendo verò est motus rei ad animam; intelligitur enim res secundum quòd est in nobis, diligitur autem, ut dicebamus, prout est in seipsa: ex his enim verbis, quibus innitebatur argumentum, volens ostendere, quòd intellectus plus nos uniri rei intelligibili, ergo amor rei amate, non arguebat propositum, sed oppositum: Nam si Deus, etiam in patria, intelligitur, hoc est secundum quòd erit in nobis, & diligitur à nobis ut est in seipso; consequens est, quòd per intelligere unimur Deo, secundum quòd erit in nobis, & secundum modum nostrum: sed per diligere unimur ei, ut est in seipso, & secundum modum diuinum: & quia unio ad Deum secundum modum diuinum est multo potior, & maior, quàm unio per intelligere: ex parte ergo ipsius obiecti diuini, quia diligere erit ut est in seipso; intelligere verò, ut erit in nobis, patet verum esse, quòd dicitur.

Tertia quidem via sumitur ex parte modi agendi, nam ea, quæ sunt priora origine, sunt posteriora perfectione: unde Augustinus 12. Confess. distinguit inter prius origine, & prius electione: *nam origine, & tempore flos præcedit fructum, electione verò fructus florem*: sic etiam secundum eundem ibidem, & in pluribus alijs locis, & si non tempore, saltem origine semper informe præcedit formatum; nulli tamen dubium, quòd electione, & perfectione formatum præcedit informe: eo ergo ipso, quòd secundum modum intelligendi, & amandi nostrum, unum præcedit aliud, hoc est, quòd intelligere origine præcedit amare: Quia bonum apprehensum est obiectum voluntatis, ut dicitur in 3. de Anima, consequens est, quòd unio per amorem sit potior, & perfectior.

Utroque ergo modo unimur rei per intelligere, & amare; sed huiusmodi unio in intelligendo inchoatur, in amando

Secunda via. In diligendo est motus animæ ad res; in intelligendo verò motus rei ad animam.

Tertia via. Quæ sunt priora origine, sunt posteriora perfectione.

Arist. 3. de an. c. 15.

Intelligere
origine præ
cedit ama-
re.

Arist. 2. de
gen. et c. 55.

consumatur; origine præcedit vnio per intelligere, sed perfectione præcedit vnio per amare; potior est ergo vnio per amorem, quàm per intelligere, sicut consumatum est potius, quàm inchoatum. Vnde & Philosophus in 2. de Gener. probat motum localem esse perfectiorem omnibus alijs, quia est post omnes alios. Puer enim primo generatur, deinde alteratur, postea augmentatur, vltimò autem agit, pergit, & localiter mouetur: naturaliter enim videmus, quòd de imperfecto itur ad perfectum, de informe ad formatum, vt semper posteriora origine, cæteris paribus sint priora perfectione. Vnio ergo illa per intelligere perfectissima erit in genere suo; sed vnio per amorem simpliciter erit perfectior: illa enim vnio per intelligere erit prior origine, hæc autem prior perfectione.

RESP. AD ARGVM.

Negatur se-
cunda pars
maioris pro-
positionis
argumenti.

Ad primũ argumentum in contrarium dicendũ, quòd vniri rei, secundum quod est in seipsa, vt facit amor, non est vniri extraneo, quia amor quantum est de se transformatur, & vult idem facere amantem cum amato. Vniri ergo rei, vt est in seipsa, prout in ipsam rem transformamur; non est vniri rei, vt est extranea, sed magis vt est eadem; propter quod non concludebat argumentum.

Ad secundum dicendum, quòd omnis felicitas nobis possibilis ex naturalibus puris in intellectu habet esse, quia talis felicitas vel est actus prudentiæ, vt ciuilibis, vel sapientiæ, vt contemplatiua: felicitas tamen, quam ex gratia Dei consequimur, perfectius est in voluntate, quàm in intellectu.

Ad tertium dicendum, quòd visio est tota merces, non simpliciter, sed in ordine ad voluntatem. Id etiam, quod obieciatur ad concludendum propositum, quòd vnio per amorem esset maior; sophisticum erat: nam ille idem Hugo, qui dicit: *Intrat amor vbi foris est scientia*, ait: *Praualet quidem intellectus, sequitur autem tardus, aut nullus affectus*. Potest enim contingere, quòd intret amor, vbi foris stat scientia; quia diligimus in via Deum per essentiam, non intelligi-

Quomodo
intelligatur
dictum Hu-
gonis: in-
trat amor,
vbi foris
stat scien-
tia.

A mus tamen cum intellectu essentiali, sed solum per creaturas. Intrat ergo amor, quia pertingit vsque ad diligere Deum, per essentiam; vbi foris stat scientia, quia non pertingit essentialiter, nisi vsque ad creaturas. Potest etiam pertingere, quia præualet intellectus, non tamen sequitur affectus; quia multa de diuinis intelligimus, & de bonis moribus; ad quæ modicum afficimur. Argumentum ergo, vel non arguit simpliciter, vel arguit de eo, quod est in via, vbi foris stat scientia; quia non possumus in via videre Deum per essentiam; sed licet argumentum id simpliciter non concludat, tamen quantum ad id, quod erit in patria concludit simpliciter, nam simpliciter verum est, quòd in Patria vnio per amorem erit perfectior.

Argumentum
non conclu-
dit simplici-
ter; vt patet.

In patria vnio per amorem erit perfectior, quàm vnio per intellectum.

ARTIC. IV.

Vtrum possibile esset, animam Christi videre apertè Deum, & ipsum non diligere. Conclusio est negatiua.

Aegid. quodlib. 5. q. 6.



VAR TO quæritur, Vtrum possibile esset animam Christi videre apertè Deum, & ipsum non diligere. Et videtur, quòd sic: nam quæcunque sunt diuersa, possunt ab inuicem separari: sed intelligere differt realiter à diligere: ergo saltim virtute diuina posset vnum separari ab alio, vt quòd videns Deum, non diligit ipsum.

D

Præterea. Prius potest esse sine suo posteriori: sed intelligere est prius, quàm velle, & amare: ergo illud potest esse sine isto.

Præterea. Voluntas non fertur, nisi in præcognitum, id est ante cognitum: ergo in illo ante, poterit intellectus Deum videre, absque eo, quod posset eum voluntas amare.

IN CONTRARIVM est, quia illud est summè diligibile; videtur autem omni-